
THE LIBRARY OF CONGRESS


THE LIBRARY OF CONGRESS



ELEMENTA UNIVERSALIS LINGVAE SLAVICAE

E

VIVIS DIALECTIS ERUTA

ET

SANIS LOGICAE PRINCIPIIS SUFFULTA

AUCTORE

JOANNE HERKEL

PANNONIO.



BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE

1826.

Admittitur ad imprimendum.

Antonius Tumara m. p.
Librorum Censor et Revisor.
Die 25. Febr. 1826.

Inductio.

Non tantum slavicae, sed aliae etiam Nationes cultiores desiderio ardent litteras communes slavici sermonis habendi, ope quarum tamquam aptissimae Clavis tandem aliquando tam late patentis linguae janua reseraretur; nec mirum, slavas enim Nationes ad hoc cohortatur mutuus amor, quem eis Natura indidit, alias vero gentes utilitas, ut modo quam facillimo cum sexaginta millionibus hominum Europeorum colloquerentur.

Hoc fine opus illud Herculeum Clarissimi Linde, Mecaenatibus Augustissimis Magnae Russiae, et Borussiae Monarchis in lucem prodivit; communi hoc desiderio incitatus quaedam de communi Slavice scribendi, partes Orationis inflectendi ratione hoc in opusculo proponere statui, ita tamen, ut philologice, et etymologice gnaros Slavici sermonis viros ipse ultro orando provocem ad ea, quae propono vel stabilienda, vel refellenda, et commodiora proponenda; desideratur enim opus in suo genere perfectum, quod tum facilitate scriptionis, ac perceptionis, tum svavitate elocutionis se commendet. Nec enim

agitur hic de singulari dialecto, sed de lingua Slavica in genere sumta, cujus genuina principia non in una, sed in omnibus dialectis quaerenda esse pronum est; hinc suapte etiam fluit, Linguam hanc ut pote Originalem communi Slavicarum Nationum conatu esse colendam, hinc tantum efflorescet etiam penes diversitatem geographicam, historicam et politicam, ad exemplum aliarum Nationum, exoptata *Unio in Litteratura* inter omnes Slavos, sive verus Panslavismus.

Sectio I.

De litteris.

§. 1.

Unicum impedimentum Litteraturae Slavicarum Nationum fuit, et est diversitas scribendi tum litteralis, tum orthographica; vastissima enim Russorum gens, tum Serbi duplici utuntur scribendi genere, Ecclesiastico nempe et Civili; Ecclesiasticae vero litterae nihil aliud sunt, quam litterae a Cyrillo et Methodio Slavorum Apostolis a Graecis adscitae, et pro propriis genti sonis exprimendis ab iisdem effictae, vel potius jam praeinventae; Viri enim hi erant Philosophi, hinc rationi con formiter egerunt, dum pro propriis genti sonis efferendis, proprias etiam litteras excogitarunt; et sane, si enim Cyrillicae litterae tanta volubilitate valerent,

quanta vi Slavicos sonos exprimendi pollent, profecto a nulla Slavicarum gentium aliae adoptarentur; ast quia tum nitore formae externae, tum celeritate in scribendo destituuntur, factum est, ut ab earum usu plurimae gentes sensim recesserint, ipsique Russi sub Petro Magno pro civili vita commodiores in auxilium vocaverint litteras, quarum plurimae cum Europaeis in forma concordant, sed insono discrepant.

§. 2.

Reliquae vero Slavicae Nationes utuntur litteris latinis, nunc Europaeis jam dictis, quas etiam Bohemi, et Pannonii repudiatis Gothico-latinis communiter adoptarunt; Verum licet iisdem utantur litteris, tanta tamen est orthographica scribendi diversitas, ut scripta diversarum dialectorum vix intelligantur; ast in seorsivis etiam dialectis tanta est scribendi varietas, ut homines ejusdem etiam Dioecesis triplicem scribendi rationem (vel potius nullam) sequantur; hujus rei causa est, quia litterae Europaeae destituuntur signis pro Slavico sono exprimendo sufficientibus, hinc fit, ut litterarum sonum varii varie mutent, accentibus onerent, vel ex conglomeratione plurium litterarum sonum Slavico Sermoni proprium extorquere adlaborent, triste hujus veritatis exemplum ostendunt libri in variis dialectis conscripti; quare his in rerum ad-

junctis Cyrillum ducem sequamur, et nostris temporibus accommode cum illo sequenti modo argumentemur.

§. 3.

Littera nihil aliud est, quam signum alicujus soni humano ore prolati; hinc quot in sermone soni, totidem adesse debent signa, quae signa nominantur litterae; eo itaque erunt perfectiores litterae, quo distinctius sonos linguae exprimunt, hinc fluit: Litteram unam cum alia nunquam esse confundendam, quia sic confundimus et sonos, ex quibus humanus sermo coalescit. Littera itaque datum sibi sonum semper retinere debet; ubi enim alicujus litterae sonus pendet ab hoc vel alio vocabulo, a consequente vel praecedente hac aut alia vocali vel consonante, talis scribendi ratio est misera.

§. 4.

Quaevis lingua praeter communes cum aliis lingvis sonos, habere solet etiam sibi duntaxat proprios sonos, id experientia docet, hinc sequitur: pro communibus sonis communibus etiam litteris, et pro propriis sonis propriis pariter litteris utendum; magnam profecto parerent confusionem illi Grammatici, qui litteras alicujus gentis adoptarent, proprios tamen sibi sonos per proprias litteras non supplerent, sed eos variis tantum subterfugiis exprimere studerent.

§. 5.

Litterae quo simpliciores, amoeniores, faciliores que scriptu sunt, eo magis publico usui commendantur; nam scriptura vel typus amoenus vel invitos etiam ad legendum rapit, quum jam a natura ipsa non deformi, sed pulcro delectemur, hinc facile est judicium depromere; num Cyrillicis, gothico-latinis, vel vero politioribus Europeis litteris utendum sit?

§. 6.

Litterae Europeae pro publico usu maxime valere videntur; nam gothico-latinae sunt angulis superfluis deformatae. Cyrillicae vero ipsis orientalis ritus fratribus pro communi usu jam pridem uti aliis slavis haud idoneae visae; quae omnia pro cultioribus Europeis litteris adoptandis pugnant, quia eae tum requisitis dotibus prae ceteris magis gaudent, tum quia iis plurimae Slavicae Nationes utuntur, tandem, quia tota cultior Europa easdem adsumsit. Verum litterae hae non sufficiunt ad omnes slavici sermonis sonos exprimendos, hinc vel imitando Cyrillum novas effingamus, vel si adsunt in aliquibus dialectis, eas adoptemus, et si essent impolitae, eas poliamus.

§. 7.

Europeorum litterae sunt sequentes: a, b, c, d, e, f, g, h, i, j, k, l, m, n, o, p,

q, r, s, t, u, v, x, y, z. numero 25; inter quas ejusdem soni sunt q = k, x = ks, y = i, demtis itaque superfluis manent 22. Verum his litteris omnes Slavici soni exprimi haud possunt, uti sunt:

1. Russicum ч Bohemis č, Germanis tsch Croatis ch

2. Russicum ж Bohemis ž

3. Russicum ш Bohemis š,

4. Desunt nonnullis Slavicis dialectis soni molles.

5. Denique deest amoenus antiquis Slavis, tum Russis, ac Vindis notus sonus, quem Germani per ü exprimunt, antiquis vero Slavis per ы exprimebatur.

§. 8.

Russicum ч maxime valet, quum sit Europeis litteris affine, et littera satis simplex, Bohemicum č vero valeret quidem adhuc magis ad vim soni exprimendam ob affinitatem inter *c* et *č*, verum signum superius affixum et scriptum et typum deformat, quod in Russico non est.

2. Russicum ж discrepat a litteris Europeis, Bohemicum vero ž est Europeum, imprimis si signum ad medium collocetur ƶ.

3 Russicum ш = Germanico *sch* Bohemico *š* nimis abludit a forma litterae *s*. Vindicum vero 8 nihil est aliud quam duplex 8 uno ductu formatum, cur usus ejus respueretur? nisi auctoritate Russicum ш praevaleret.

Littera *x* = *ks* est nobis superflua, quum *ks* vices ejus obeat, Dalmatae ea utuntur loco z, Russi vero loco. Bohemici *ch*, hic certe Russi imitandi videntur, hinc omnis Slavica natio aequaliter et scribet, et leget: *žena*, *duша* *dux*, *чlovek*

§. 9.

Aliquae Dialecti sequentes litteras solent mollire: *d*, *l*, *n*, *t*, verum haec molliendi consvetudo in nonnullis dialectis solum provincialismum redolet, adeo ut in ipsa Pannonia plebs litteras has ante *e*, *i* jam molliter jam duriter efferat; hinc ad sonos hos molles designandos peculiaribus litteris haud opus esse videtur, nam molliens dialectus e. g. *Nebo*, *Niva* molliter enunciabit absque omni signo, non molliens vero dialectus confunderetur; molliendi haec consvetudo in nonnullis Pannoniae oris eo digressa est, ut plane littera *t* et *d* in litteram et sonum litterae *c* versa sit, quae loquendi, et scribendi consvetudo Polonis est communis, sic e. g. originarie slavice scribendum: *napelniti*, *pokoiti*, *idjem* mollientes *t* et *d* notant' *ť*, *d'*, Poloni vero scribunt *pokoic*, *idzem* = sonat *icem*.

§. 10.

Bohemi utuntur triplici i, nempe *i*, *j*, *y*, quae tamen omnia semper retinent sonum *i* cum

ea tamen orthographica distinctione, quod *y* adhibeatur post quasdam Consonas, *j* vero adhibent ad molliendam praecedentem consonam, vel syllabam protrahendam, quam tamen subtilem observationem nec ipsi nati Bohemi multum curant, satius certe foret si *j* adhiberetur loco *g*, tunc Bohemici excellentes scriptores facilius a plurimis Slavis intelligerentur, scribendum itaque javor, jagoda, non vero gavor, gahoda, stoji non vero stogi.

Litterae vero *y* assignetur sonus prouti apud Vindos = *ü* germanico affinis, qui sonus antiquis Slavis, Russis, et Vindis est notus, hunc sonum reliquae nationes solum per i supplent, ast antiqui Slavi *i* ab *y* accurate et sono, et scriptione distinxerunt sic *vlk vyje*, lupus ululat, — item *dievica vienec vije*, ululo scribitur per ВЫШI, necto vero per ВИШI.

§. 11.

Bohemi et Poloni litteram *r* ante *e*, *i* potissimum, more sibi consveto nec aliis Slavicis Nationibus usitato, efferunt; scribebatur vero hic sonus per *rz* prius etiam apud Bohemos sic loco *Zverina*, Polonus scribit *Zv*erzina, Bohemus *z* exmittit, et *r* notat accentu, = *Zveři-na*, — Interim et ipse accentus super *r* littera est superfluus; nam natus Bohemus, vel Polonus litteram *r* ante *e*, *i*, nonnisi innato sibi modo leget, huic Rhinesmo occasionem praebuisse

videtur antiquum Jerri Ъ quod in antiquis libris consonis, adeoque et litterae *r* adnectebatur.

§. 12.

Litterae itaque forma, et sono distinctae exoriuntur sequentes: a, b, c, ч, d, e, f, g, h, x, i, j, y, k, l, m, n, o, p, r, s, ш, (ś) t, u, v, z, ž, (ж) 27. quibus omnis originalis vox slavica commodissime exprimitur.

Sed fors aliqui dicent adesse justo plures, alii vero pauciores quam opus esset, litteras, Meridionalibus fors littera x loco Polonici *ch* displicebit, quia apud nonnullos hunc sonum supplet littera *h*, nec enim dicunt *xudi*, *xvalim*, *xram* etc. profunde e gutture, sed tantum *hudi hvalim*, *hram*, quin imo *h* mutant nonnulli in *f* sic loco *xvala* = *hvala* = *fala*. Porro Dalmatae litterae *x* indiderunt sonum nostri ž, jam quanta hinc diversitas scriptionis, lectionis, et significationis, sic Russus scribit et legit *xlieb*. Dalmata hoc legit *žlieb*, quod longe aliam habet significationem; itaque nonnisi concordia litteraturam, et Culturam linguae, ac Nationis magis extensam stabilire poterit. Interim Poloni juste queri possunt neglectum svavis soni *dz;* ast suppleatur identitate litterae scilicet per ∂, hac ratione et apud eos orietur littera simplex, et apud alios legendi facilitas sic e. x. dielo opus *d* apud Polonos ante *e* vel *i* sonat fere ut *c* scribuntque id affixa littera *z* dzielo non ne commodius esset *∂ielo.*

Quid vero cum *rz*, *ą*, *ę* faciendum sit, ipsis Polonis decidendum relinquitur. Bohemi uti dixi litteram *z* ab *r* jam eliminarunt, quinimo noviores et ipsum accentum *ř* fastidiunt, certe et a Polonis id factum iri non desperamus. *ą* vero et *ę* satius esset ita scribere ut enunciantur, sic *kvitnąl*, *wziąl* = *kvitnol*, *vziol*, ceterum nostrum non est novos sonos effingere, sed potius sonos, qui fundantur in genio linguae slavicae conservare; agitur enim de communi scribendi modo; jam vero vires unitae magis agunt, discerptae vero, vel plane oppositae serius aut citius exstinguentur.

§. 13.

Bohemi, Moravi, Pannonii loco *g* in aliis dialectis utuntur littera *h* sic loco grad, gruda, griada dicunt et scribunt = *hrad*; *hruda*, *hriada* etc; hinc cum pluribus Nationibus et antiquae Slavicae commune sit *g* loco *h* cur. Bohemi, et Pannonii in communi scribendi genere eo non uterentur, rationem certe non video apud illos, quibus cordi est cultura linguae maternae, itaque scribendum: *glava*, *jeden*, non vero *hlava*, *geden*; hac ratione enim excellentes Bohemici libri a reliquis Connationalibus facillime intelligentur.

Sectio II.

De accentibus.

§. 1.

Interpunctiones ab accentibus probe sunt discernendae, nam sine Interpunctionibus scriptum quodpiam vel minimum esset chaos, ex quo sensus pro libitu legentis erui posset, si quidem interpunctiones determinent sensum sermonis nostri in chartam conjecti; accentus vero sunt signa litteris affixa ad sonum vocis protrahendum vel deprimendum etc. quid itaque de his signis?

Origo accentuum repetenda est ex antiquissima scribendi ratione, in qua vocales exmittebantur, et solum punctis supplebantur. Rationes pro conservandis accentibus sequentes pugnare videntur, scilicet: plurimae nationes iis utuntur, quia debitus per eos voci sonus conciliatur, accedit, quod vocabulorum aequi vocorum nonnissi accentus determinent sensum, plura argumenta pro defensione accentuum non sunt; Verum interest expendere, quanti momenti sint haec argumenta? Quod multae Nationes accentibus praeter litteras utantur, hinc hoc unice sequitur: Nationes illae vel ob defectum litterarum iis uti coguntur, vel antiquum scribendi modum imitantur, si itaque linguae cuidam sufficientes adsunt litterae, cur typus, vel scriptura inanibus entibus deformaretur?

§. 2.

Verum per signa debitus voci sonus conciliatur; haec ratio in lingua Slavica per extensionem sumta locum habere absolute non potest, posito eo, quod sufficientibus provisa sit litteris; nam sumamus e. g. isthoc vocabulum žena, in veteri et plurimis aliis dialectis absque omni accentu scribitur, Russorum vero aliqui Grammatici jam accentu onerarnnt *ženà*, Serbus aeque accentu notat, verum non ibi ubi Russus, sed *žèna*, qui accentus in Vocativo plane duplicatur *žëna*. Jam ex quo fundamento Grammaticus accentum hunc in vocativo duplicavit? forsan ideo, quia dum quis vocatur, sonus etiam vocantis immutatur? ast dum quis irascitur. adulatur, aut alios affectus exerit, pariter vocis sonus immutatur, hinc quanta accentuum cohors induci deberet.

§. 3.

Porro per signa debitus voci sonus conciliatur; ast hoc argumentum nec tunc subsisteret, si omnes Slavicae gentes vocem quamvis aequaliter protraherent, vel deprimerent; nam tunc eo ipso accentus essent superflui, in tanta vero varietate potractionis, vel depressionis sonorum apud gentes Slavas tanto minus locum habere poterunt, nam Vindum quemdam audivi sic loquentem. *Nógí má bóléjó*, omnem

scilicet syllabam protraxit, verum haec protractio non est omnibus Vindis consveta, teste enim experientia constat, ejusdem dialecti homines diversa uti prosodia, ratio est, quia protractio vel abbreviatio syllabarum non fundatnr in genio lingvae Slavicae, sed in varia loquendi consvetudine.

§. 4.

Tandem — vocabula aequivoca nonnisi appositis signis nanciscuntur significationis distinctionem; ast non signa vocabulorum aequivocorum diversa, sed objectum Sermonis determinat significationis distinctionem magis, quam centuria signorum, sic *Vlk vije* lupus ululat, *Dievica*, (*panna*) *vienec vije*, Virgo sertum nectit, hic ubique occurrit vije in diversissimo sensu, quem tamen clarissime determinat Objectum. Bohemi quidem distinguunt has significationes etiam orthographica scribendi ratione, sic ululare *vyti* scilicet per *y*, vije vero nectit per *i*, verum haec distincta scribendi ratio tunc est recta justaque, si distinctum etiam sonum producat, secus exorientur inanes subtilitates suis tantum fabricatoribus notae, vetus dialectus et Russi ululo scribunt per ВЫШ nectere vero per ВИШ, quae scribendi ratio diversa diversum etiam sonum indicat, et quidem Ы = *y* = *ü* Germanico,

eu Gallico, alter itaque est sonus *vyti*, quam in viti. Ex his satis liquet accentibus in lingua Slavica uti nil aliud esset, quam entia sine necessitate multiplicare, scribentem tardare, legentem turbare, scripturam vel typum deformare, si itaque adsunt sufficientes litterae ad genuinum Slavicum sonum exprimendum, sequitur accentus esse relegandos ad illas gentes, quae ob defectum litterarum iis uti coguntur.

Sectio III.

De cultura linguae in genere, tum in specie.

§. 1.

Habita jam uniformi scribendi ratione omnes Slavicae gentes tuto commercium litterarum inter se fovere possunt, et semet mutuo facillime intelligent; nec enim tam magnum inter eas est discrimen, quantum inter Italicas, vel Germanicas dialectos esse observatur, Pannonius enim Slavus maxime ad Carpathum cum Bohemo, Polono loquitur absque omni difficultate ut cum fratre suo, cum Russo ut cum Vicino, id abunde docuit transitus per eas oras Russici exercitus, ast secus etiam nonnullorum Pannoniorum dialectus parum abludit a Russica. Meridionales vero Slavi aeque intelliguntur, difficilius tamen, verum hanc difficultatem octidua

cum

cum iis Conversatio tollit, (id propria in Croatia existens loquor experientia) imprimis si ab utrinque peregrinis abstineatur vocabulis. Jam si sermo invicem misceri potest, quanto facilius communis scribendi ratio stabiliri posset, quem in finem uniformitas litterarum est summopere necessaria tam litteralis, quam orthographica, sine uniformitate nihil est, ea vero inducta clarum erit, omnes Slavicas dialectos nonnisi unicam esse linguam, imprimis si in Dictionariis dialecticis peregrina vocabula adnotentur, et ex alia dialecto genuina substituantur, tunc sponte sua cessabit varietas, sed erit, ut fuit, una lingua, cui si accesserit Grammatica philosophica, necessario lingua haec originalis, et apud plurimas Europae gentes viva, erit utilissima, ac florentissima.

§. 2.

Dialectus quaecunque Slavica ab aliis separata pro litteraria communi Slavica lingua sumi rationabiliter haud potest; nam 1mo quaevis dialectus, uti nunc sunt, scatet peregrinis plus minus vocabulis, licet originariae expressiones in aliis dialectis adsint; 2do singillativae dialecti criticis destituuntur scribendi principiis, ratio est, quia aliquae nationes singillativarum dialectorum sunt plus minus aliis gentibus mistae, quae commistio in linguam ipsam magnum habet influxum, hinc sequitur non in una dia-

lecto, sed in omnibus consistere, ac fundari genium originariae linguae slavicae, adeoque huc spectant praeter Ecclesiasticam, Russica, Polonica, Bohemica, Pannonica, Illyrica, Vindica, una cum suis subdialectis.

§. 3.

Si separata dialectus pro communi Slavica sumeretur, ea deberet 1mo a peregrinis expressionibus repurgari, 2do ejus inflectendi ratio cum aliis dialectis conferri, haec si fierent, par esset ratio, in quacunque dialecto id occiperetur, si quidem jam tunc in omni dialecto genuina essent vocabula, et originaria inflectendi ratio, secus vero inanium regularum et exceptionum farrago exorietur. Id sequens exemplum dilucidabit. Bohemica dialectus uti nunc est nomina neutrius generis varie inflectit: *e. g.*

Singularis.

Nom. Ac. V.	*Pole,*	*Slovo,*	*Znameni.*
G.	*Pole,*	*Slova,*	*Znameni.*
D.	*Poli,*	*Slovu,*	*Znameni.*
Localis.	*v Poli,*	*Slove,*	*Znameni.*
Socialis.	*Polem,*	*Slovem,*	*Znamenim.*

Pluralis.

Nom. A. V.	*Pole,*	*Slova,*	*Znameni.*
G.	*Poli,*	*Slov,*	*Znameni.*
D.	*Polim,*	*Slovum,*	*Znamenim.*
L.	*v Polix,*	*Slovix,*	*Znamenix.*
S.	*Poli,*	*Slovi,*	*Znamenimi.*

Isthic omne vocabulum distinctam habet: inflexionis formam, Polonus vero ipsissima vocabula aeque instar paradigmatis propronit; sed unam duntaxat inflexionis normam sequitur sic.

Singularis.

N. A. Vo.	*Pole,*	*Slovo,*	*Znamenie.*
G.	*Pola,*	*Slova,*	*Znamenia.*
D.	*Polu,*	*Slovu,*	*Znameniu.*
L. *v*	*Polu,*	*Slovie,*	*Znameniu.*
S.	*Polem,*	*Slovem,*	*Zameniem.*

Pluralis.

Nom. A. Vo.	*Pola,*	*Slova,*	*Znamenia.*
G.	*Pol,*	*Slov,*	*Znamien.*
D.	*Polom,*	*Slovom,*	*Znameniom.*
L. *v*	*Polax,*	*Slovax,*	*Znameniax.*
S.	*Polami,*	*Slovami,*	*Znameniami.*

Polonus hic nonnisi unicam inflexionis formam sequitur, *Slovo* tamen in sing. locali excipit, datque illi terminationem non *u* ut reliquis, sed *e*, jam vero, si alias dialectos tam septemtrionales, quam meridionales consuluerimus, terminationem localis vocis *slovo* quotidie experimur, sic: *v Bozim slovu, v mojim slovu etc.* hinc sequitur inflectendorum neutrorum nonnisi unicam logicam posse stabiliri formam, ex quibus patet pro cultura linguae Slavicae combinationem dialectorum esse absolute necessariam.

§. 4.

Verum quid intelligendum per culturam linguae? Cultura linguae alia potest esse civilis, alia logica, civilis linguae cultura tunc est, dum linguae alicuius usus in societate civili viget, et quo linguae alicujus usus in pluribus, vel plane omnibus negotiis occurrit, eo major est etiam ejusdem linguae civilis cultura, hinc sequitur, quo amplior aliqua natio ejusdem linguae ac societatis civilis est, eo ampliorem in ea esse civilem linguae culturam, nam ampla natio ampla supponitur habere etiam negotia, quae si materna lingua pertractentur, lingva ejusdem colitur, ac ampliatur, quod fit: militiae, domi, foris, artificiis, opificiis, ac millenis aliis occupationibus; hinc manifestum est, quo minor aliqua natio, et quo minor ejusdem est occupatio, eo etiam minorem nationalis linguae civilem culturam esse; cultura itaque civilis linguae non est quaerenda in commentis litteratorum, sed in publico usu; frustra litteratus fingit vocabula, si eorum usus non adsit, occupatio vero varia mox invenit terminum, eumque ponit ad usum; varia itaque civium occupatio est maxima linguae ditatio, et ideo culturam linguae civilem esse metiendam a civium numero eorundemque occupatione, clarum fit.

§. 5.

Hoc obtutu, si lingua slavica per totam sui extensionem consideretur, est lingua per

Europam orientalem et Asiam septemtrionalem extensissima, eam enim plurimae Europae gentes loquuntur, cultus divinus ea peragitur Orientalis, Occidentalis Ecclesiae, et Reformati ritus; est lingua militaris, commercialis, ac millenarum aliarum occupationum; si vero lingua haec ut in dialectos varias discerpta consideretur, cultura ejus civilis dependet a situatione gentium eam loquentium, alibi enim est diplomatica, alibi domestica tantum seu familiaris, alibi plane servilis, et huic basi innititur etiam ejusdem cultura civilis.

§. 6.

Verum quid intelligendum per linguam logice cultam? Quid per linguam logice cultam intelligendum sit, ipsa expressio abunde indicat, scilicet ut lingua habeat principia firma, seu regulas scribendi fixas, multitudine exceptionum non debilitatas, quo enim pauciores sunt exceptiones, eo ipso et regulae erunt firmiores; hinc lingua illa logice culta dici absolute non meretur, cujus volumen Grammaticale ipsum linguae Dictionarium aequat vel plane superat, talis lingua certe mox ab exerdio non est nacta logicam sui culturam, falso itaque in otiosa Grammaticorum subtilitate linguae culturam esse nonnulli arbitrantur; veritatem hanc sequens exemplum confirmabit. Pannonii adjectivum longus, a, um exprimunt voce *dluhi* Com-

parativum vero formant loco *i* adjecto *wi*, ut *xudi xudwi*, ergo et *dluhi*, *dluhwi* etc. ast hic jam exceptionem formant dialectici, et dicunt debere scribi *dlukwi*, vel *dluzwi*, jam vero unde haec exceptio provenit, ? unde *z*, et *k* irrepsit? unice a dialecto, vel potius subdialecto: nam et Pannonii dicunt *dluhwi*, ergo non semper *dluzwi*, vel *dlukwi* — hoc unum; ast nec ipsa Logica hanc exceptionem agnoscit, ut primum regularis enunciandi ratio ipso usu stabilitur, dicitur vero *dluhwi*, nam *z* non tam usu, quam abusu irrepsit, *dlukmi* vero nihil est aliud, quam corrupta originariae scribendi rationis; originarie enim Slavice non *dluhi*, sed *dlugi* dicitur, et hinc *dlugwi*, non vero *dlukwi*; hujusmodi sunt millenae exceptiones, quae sunt verus memoriae labyrinthus, sic *kniha*, vel *kniga*, dialectici docent Dat. *knize*, loco *knihe*, vel *knige* in aliis dialectis etc. omnes enim dialecti plus minus variis onerantur exceptionibus a vago usu ortis; logica itaque combinatione opus est in cultura linguae Slavicae, et tunc orientur regulae firmae, planae, clarae, et hoc ipso et Slavis et exteris hanc linguam noscere volentibus proficuae

§. 7.

Logice colendarum, et uniendarum dialectorum Slavicarum adsunt media; nam recentissimis temporibus omnis fere dialecti viri eru-

ditissimi Grammaticas accurate concinnarunt, ex quibus patet, quantum dialecti ab invicem abludant, vel potius quantum varient, quare pluribus similibus Grammaticis Slavica lingua opus non habet, quo enim magis minores Slavicae Nationes dialectum suam citra relationem ad alias dialectos Grammatice colerent, eo minus incrementum litteratura Slavica videret; nam lingua Slavica in varias abit dialectos, quae dialecti scribendi ratione scissae ipsam linguam etiam scindunt, Grammaticae itaque concinnandae sunt majorem linguae suae extensionem insinuantes; minores enim Slavicae gentes dialecti suae florem civilem non habent, ast lingua Slavica per extensionem sumta jam est in pleno flore civilli, itaque in eo adlaborandum dialecticis, ut dialecti variae velut fluvioli ad unum generalem alveum dirigantur.

§. 8.

Hoc fine Eruditissimus *Samuel Bogomil Linde*, Rector Lycaei Varsoviensis, polonica dialecto edidit Dictionarium omnium dialectorum sclavicarum, dicitque, si Itali dialecto distinctissimi a temporibus Dante lingua uniformi scripturistica gloriantur, cur Slavi non gauderent? Clar. vero *Samuel Bandtke*, Professor Krakoviensis, dicit in suo opere: Nullum dubium esse dialectos sclavicas uniri, et communem scribendi rationem induci posse, si enim Germanicae Nationes dialectis diversiores id consecutae sunt, quid officit Slavis?

§. 9.

Quem in finem necessaria est communis scribendi ratio, tum litteralis, tum orthographica uti: *Ad, Adám, Bog, brada; brana, cerkva, чast, чerv, dvor, den, deut, grad, grib, jama, jesen, izba, xram, xrom, kon, kov, kova, liubost, liud, meч, maso, mladost, mleko, nebo, niva, oko, orel, plod, roƶen,* (рожен) *slovo, slava, sused, temno, temnica, ud, vjek, zor, pozor, ƶila, ƶivot*, etc. haec et his similia omnis Slavus septemtrionalis, medius, ac meridionalis facillime leget, scribet, et intelliget; communis haec scribendi ratio tam est necessaria, ut sine ea omnis minorum Slavicarum gentium litteratura, adeoque et cultura sint pia tantum desideria.

§. 10.

Necessaria sunt porro Dictionaria dialectorum ita tamen concinnata, ut peregrina vocabula accurate adnotentur, et ex aliis dialectis genuina substituantur; lingua enim Slavica est verum Cornu Copiae; constat quidem etiam ipsa genuina vocabula Slavica in ore loquentis plebis variarum dialectorum variari, ast haec variatio consistit potissimum in mutatione vocalium, consonantes vero tamquam ossa vocis eaedem sunt; hinc fit, ut duriores dialecti vocales exmittant, mollientes vero easdem inter-

serant, ac ipsas consonas molliant; mollientes dialecti sunt Illyricae, Polonica, Russica; sic loco *smrt*, *srdce*, *prst tvrdi* cum mollientibus dicendum: *smert*, *serdce*, *serce*, *serco*, *perst*, *tvardi* = *tverdi* etc. habitis particularibus Lexicis, Dictionarium Etymologico-philologicum univarsale erit concinnandum, his si accesserit logica partes orationis inflectendi ratio, tunc lingua slavica et civiliter, et logice culta jure dici poterit; Logica enim inanes linguae regulas resecat, verum principia linguae firma, genioque conformia stabilit; transeamus itaque ad partes orationis logice examinandas.

Sectio IV.

De inflexione partium Orationis.

§. 1.

Hucdum a Grammaticis receptam linguas tradendi, explicandique methodum sequar, licet ea haud probari possit; siquidem Grammaticae nostrae magis terminis, quam re ipsa occupentur. Partes orationis aliae inflectuntur, aliae vero sunt immutabiles, sic nomen, pronomen, verbum variantur, praepositio vero, adverbium, interjectio, et conjunctio non mutantur; septem itaque exsurgunt partes orationis; participium enim non est distincta pars orationis, nam vel retinet vim verbi, et tunc refertur ad

verbum, vel induit formam et indolem adjectivi, et tunc refertur ad nomen, secus et ita dictum gerundium, et supinum distincta orationis pars dici posset.

§. 2.

Nomen est vox, qua objectum aliquod, aut ejus proprietas, seu qualitas designatur, hinc nomen substantivum, et adjectivum; talia substantiva sunt: *bob*, *pup* umbillicus, *um* intellectus, *pokoj*, *len*, *vol*, *dol*, *udol*, *stol*, *san* dignitas, *mir* pax, *zavjet* foedus, *ad* infernus, *med*, *sud*, *xod*, *zaxod*, *liepota* decor, *krim* lilium, *kot*, *kit* cete, *sovjed* consilium, *sovjest* conscientia, *bies* daemon, *lis* vulpes, *bieg* cursus, *lug* lucus, *rog*, *miex* uter, *vex*, *poslux* testis auritus, *bok*, *mak*, *zamok*, *rak*, *lik* chorus, *tok*, *potok*, *otrok*, *ryk* rugitus, *vyk* ululatus lupi, *tuk* adeps, *sok* succus, *suk* nodus arboris, *mol*, *xmel*, *kniaz*, *zeravel* grus, *put* via, *tat* fur, *ziat* gener, *test* socer, *gost* hospes, *noz*, *strax*, *lemes*, *mev*, *plav* *etc* haec et alia nomina, quam significationem habuerunt ante mille et amplius annos, eandem et nunc in omnibus dialectis retinuerunt; hinc antiqua Slavica est velut seminarium reliquarum dialectorum consideranda, quae jam ante mille, et ultro annos civiliter floruit, utinam plura ejusdem monumenta, quam Biblia, posside-

remus. A significatione et expessione antiquae Slavicae gentes aliquae plus minus recesserunt, sic *san* dignitas est multis ignotum, Pannonii exprimunt per *hodnost*, *tuk* adeps inde *tuчni*, pinguis, moravi exprimunt per *Masnost* a *Maso*, ast haud genuine, nam *masnost*, et *tuk* non est idem, antiqua itaque Slavica prae oculis semper habenda, et defectus genuinae significationis, in quantum fieri poterit, ex ea supplendus erit.

§. 3.

Num etiam varia nominum inflectendi ratio stricte ex antiqua Slavica retinenda? Minime; nam antiqua Slavica licet tunc temporis, quo Biblia sacra in eandem sunt versa, civiliter culta exstiterit, logice tamen culta haud fuit, id probatur variis Bibliorum textibus; tardioribus scilicet temporibus viri eruditi conabantur aliquas Grammatices regulas ex ea exsculpere, quem in finem aliqui 50 paradigmata inflectendorum nominum ex Bibliorum textibus adinvenerunt, alii ad 40 eadem reduxerunt, immortalis Dobrovski ad 9. formas ea contraxit, ita ut masculina duas, neutra 3 et faeminina 4 formas constituant; ratio tantae varietatis est clara, quia Biblia populari sermone, eoque liberrimo fuerunt scripta, sermo vero populi variat, vocales pro lubitu mutat, demit, adjicit, hinc nil mirum, si nominum eorundem in eodem casu triplex etiam terminatio in Bibliis ob-

servetur e. g. *gosti* hospites, vel *gostie*, vel *gostove*, vel *gostia*, sic Pannonii etiam communiter loquuntur *priuli nawi hosti*, *hostia*, *hostove*, vel *hostie* etc. Nemo tamen hunc vel alium loquendi modum damnare audebit, omnis enim ita loquitur, ut ex auditu didicit, et tali stylo etiam Biblia sunt versa, qui itaque Grammaticorum hanc aut aliam terminationem genuinam esse contenderent, nil emolumenti litteraturae Slavicae adferrent, et hinc nec mirum, si Grammatici ex Bibliis jam 50, jam 40 inflectendorum nominum formas proposuerint.

§. 4.

Quum itaque antiqua Slavica logice culta haud exstiterit, ea tamquam unicus fons, et cynosura stabiliendarum inflexionum considerari haud potest, verum consulendae sunt hic etiam vivae dialecti, ac subdialecti, ex quarum tandem combinatione principia linguae eruenda veniunt, in hac combinatione ex principio facilitatis tamdiu generali regulae inhaerendum erit, donec aliquod nomen, vel verbum a regula non excipiant omnes, in dubio vero pluralitati dialectorum cedendum erit, haec lex est justa, quippe in sana ratione fundata, quae si observata fuerit, evanescet labyrinthus Grammaticarum, tormentum illud verum cupidorum sciendi ingeniorum, linguaque sortietur principia firma, eaque perceptu facilia.

§. 3.

Omnes Grammatici dialectici ex ratione triplicis generis nominum, ternas statuunt declinationes, scilicet: macculinorum, faemininorum, et neutrorum. Recentissima Grammatica veteris dialecti masculina duabus absolvit formis, et harum utramque quaternis illustrat paradigmatibus, et quidem:

Declinatio Iae Masculinorum formae.

Singulari.

N.	*Rab,*	*Sin,*	*Jarem,*	*Dom.*
G.	*Raba,*	*Sina,*	*Jarma,*	*Domu.*
D.	*Rabu,*	*Sinovi,*	*Jarmu,*	*Domu.*
A.	*Rab,*	*Sin,*	*Jarem,*	*Dom.*
L.	*Rabje,*	*Sinje,*	*Jarmje,*	*Domu.*
Soc.	*Rabom,*	*Sinom,*	*Jarmom,*	*Domom.*

Plurali.

N.	*Rabi,*	*Sinove,*	*Jarmi,*	*Domove.*
G.	*Rab,*	*Sinov,*	*Jariem,*	*Domov.*
D.	*Rabom,*	*Sinovom,*	*Jarmom,*	*Domom.*
A.	*Raby,*	*Sinovy,*	*Jarmy,*	*Domy.*
L.	*Rabjex,*	*Sinovjex,*	*Jarmjex,*	*Domjex.*
Soc.	*Raby,*	*Sinovy,*	*Jarmi,*	*Domy.*

Declinatio IIae Masculinorum formae.

Singulari.

N.	*Car,*	*Vraч,*	*Kniaz,*	*Mravij.*
G.	*Carja,*	*Vraчa,*	*Kniaza,*	*Mravija.*

D.	*Caru,*	*Vračevi,*	*Kniaziu,*	*Mraviju.*
A.	ut *nominativus* vel *Genitivus.*			
V.	*Carju,*	*Vraču,*	*Kniazje,*	*Mraviju*
L.	*Cari,*	*Vrači,*	*Kniazi,*	*Mravii.*
S.	*Carem,*	*Vračem,*	*Kniazem,*	*Mraviem.*

Plurali

N.	*Carije,*	*Vračevje,*	*Kniazi,*	*Mravije.*
G.	*Cary,*	*Vračjev,*	*Kniaz,*	*Mravij.*
D.	*Cariem,*	*Vračjem,*	*Kniaziem,*	*Mraviem.*
A.	*Carja,*	*Vračja,*	*Kňažja,*	*Mravija.*
V.	*ut Nominativus.*			
L.	*Carjex,*	*Vračjex,*	*Kniazjex,*	*Mravijex.*
S.	*Cary,*	*Vrači,*	*Kniazi,*	*Mravij.*

§. 5.

Vetus dialectus nomina masculina substantiam potissimum sensibus perceptibilem designantia duplici modo inflectebat, scilicet communiter, et in nonnullis casibus adjectivaliter, sic communis inflectendi modus est: *dub, duba, dubu,* adjectivalis vero *dubovi, mužovi vračevi.* *etc.* ideo vero recte potest dici adjectivalis inflectendi ratio, quia ex substantivis masculinis formantur adjectiva possessionem designantia adjecta syllaba *ov,* sic ex *car, carov, a, o,* (*e*) *Pavel, Pavelov* vel *Pavlov, a, o,* (*e*) hinc *carov dvor, Pavlov sin, kniazov dom etc.* quare dat. sing. et nom. pluralis non minus in vetere, quam vivis dialectis duplici modo effertur,

sic: *Caru*, *Pavlu*, *kameniu*, vel *Carovi*, *Pavlovi*, *kamenovi* plur. nom. *Cari* vel *Carove*, *kameni* vel *kamenove*, *kniazi*, vel *kniazove etc.* haec duplex inflectendi ratio est in usu apud Slavos ubique, verum usum hunc Grammatici anxiis circumscribunt regulis, et quidem Polonus tribuit terminationem adjectivalem subtantivis tantum animatis aliquam praecellentiam seu dignitatem denotantibus, uti *Bogovi*, *duxovi*, *Panovi*, *kastellanovi*, *etc.* Bohemus hunc usum restringit potissimum ad monosyllabas voces, excipit tamen *Dux*, *Bux*, et dicit ea dat. habere tantum *Duxu Bohu*, quae exceptio est recte opposita Polonorum regulae, quae contendit *Bogovi*, *Duxovi* dicendum *etc.* Admittit tamen et Bohemus in plurali adjectivalem expressionem *Bohove*, *Duxove*, *vide Dobrov.* Gramm. pag. 170 et 172.

§. 6.

Grammaticus Pannonius adjectivalem inflectendi formam potissimum restringit ad nomina verbalia in *el* terminata, ut: *uvitel uvitelovi*, *spasitel*, *spasitelovi etc.* has tamen Grammatici observationes communis usus non observat, sed libere prout vetus Slavica adjectivali terminatione utitur; et revera, si monumenta Bibliorum pervestigaverimus, patebit, nulla habita ratione attactarum restrictionum, nomina masculina et communi, et adjectivali modo in usu

fuisse, sive animata, sive inanimata, sive unius, sive plurium syllabarum illa vocabula fuerint, legitur enim: *dnevi, ognevi, konevi, kamenovi, carovi, vinarovi, gospodevi, muzevi, mezevi, dezdevi, jezevi, molevi, vrabievi, smijevi* in dativo loco *dnu, ognu etc.* in nom. vero plurali *dni, ogni etc.* vel *dneve, ogneve, koneve, carjeve*, vel per abbreviationem *dne, ogne, carje etc.* hinc si in Bibliis hanc vel aliam terminationem observo, hanc vel illam terminationem Russismum, Polonismum, Bohemismum, vel Serbismum redolere, asserere vererer; nam pono casum, si nunc Pannonica dialecto Biblia libere verterentur, certe in contextu variae terminationes ejusdem casus et vocis adhiberentur e. g. dicitur *s mojimi bratmi*, vel *bratami*, vel *bratrami*, vel *bratrimi*, v. *bratji etc.* his similia; jam si talis contextus post mille annos ventillaretur, frustra se torquerent eruditi in deducendis inde fixis regulis, idem ipsissimum nunc est cum vetere dialecto Bibliorum sic e. g. recentissimus Grammaticus contendit terminationem socialis pluralis similem *a* v. *o* plurali stabilire, uti: *s rabi, sini, jarmi domi, Cari, vrazi, kniazi etc.* licet in antiquissimis codicibus legatur etiam in *mi* uti *s gospodmi, sinmi, darmi, muzmi denmi liudmi, stepenmi etc.* et haec videtur esse originalis terminatio socialis pluralis, tum quia in antiquissimis codicibus ita reperitur, tum quia omnium dialectorum communi usu id comprobatur, omnes

enim

enim dialecti sociali plurali characteristicam *mi* tribuunt, solum Bohemi terminationem hanc libenter abbreviant, sic originarie Slavice dicitur: *s meчami*, per syncopen fit *s meчmi*, ac tandem abjecto etiam *m*, *s meчi*; monet tamen Bohemorum Grammaticus hanc abbreviationem esse vitandam, si quae dubietas oriretur, quum ita abbreviatus socialis similis sit accusativo. Dobrov. Lehrgebäude der Böhmischen Sprache, pag 175.

§. 7.

Ex praeallatis, et contextu Bibliorum patet, antiquos Slavos masculina substantiam sensibus perceptibilem designantia etiam adjectivali modo inflexisse, adjecta scilicet syllaba *ov*, hinc *rab, dom* licet in paradigmate Grammaticus exponat solum *rabu, domu* in dativo, etiam *rabovi, domovi* in usu fuisse testarentur vivi si adessent antiquitatis testes; ast vivae dialecti id testantur, *domovi* aeque recte dictum ac *domu*, *put* via legitur in genit. et dat. *puti*, hinc tamen non sequitur non fuisse etiam in usu gen. *puta* dat. *putu*, velut modernae inflectunt dialecti, quas terminationes modernae dialecti habent solum ex auditu, auditus vero provenit ex usu; certum enim est antiquam Slavicam nullis Grammatices regulis rectam fuisse tunc, quum Biblia in eandem verterentur, hinc legitur promiscue e. g. *grob.* loc. *grobu*, vel *grobje*, *domu*, vel *domje*, *zakonu*, vel *zakonje*, *uglu*,

vel *uglje*, *smjexu*, vel *smexje*, vel *smesje etc.* hinc non mirum, si Grammatici 50, 40 declinandi formas e Bibliis veteris dialecti eruerint, quemadmodum etiam nunc id erui posset e sermone cujusvis dialecti.

§. 8.

Licet a versione Bibliorum in Slavicum idioma 1000 et amplius anni elapsi sint, vigentes tamen nunc Slavicae dialecti a veteri in forma parum, in essentia vero nil abludunt; id patet ex inflexione masculinorum, quae inflectendi forma hucdum in variis dialectis observatur, quare pro eruendo universali scribendi modo omnes dialecti, imo subdialecti in consilium sunt vocandae.

§. 9.

Russi pro inflexione masculinorum duo tantum statuunt paradigmata; quippe apud eos lingua Slavica majorem logicam culturam consecuta est, ac vetus dialectus habuerit.

	Singulari		Plurali.	
N.A.V.	*Stol*,	*Korabl.*	*Stoli*,	*Korabli.*
G.	*Stola*,	*Korablia.*	*Stolov*,	*Korablei.*
D.	*Stolu*,	*Korabliu.*	*Stolam*,	*Korubliam.*
L.	*Stolie*,	*Korablie.*	*Stolax*,	*Korubliax.*
S.	*Stolom*,	*Korablem.*	*Stolomi*,	*Korabliami.*

Isthic octo paradigmata Veteris dialecti in Russica dialecto ad duas formas contracta videmus, quas, formas aliae dialecti in unam tantum contrahunt, nam *korabl* seu *korabel*, vel *korab* inflectunt ut *stol*; quod vero vocabulum *korabl* in reliquis casibus littera *i* augeatur, est mollientis Russicae dialecti ratio, ceterum sive interseratur illud *i*, sive non, est par ratio. Quod vero unius instrumentalis per *om*, alterius vero per *em* efferatur, est nulla essentialis distinctio, sed tantum libera pronunciandi ratio, quod et ipsi Russi pro lubitu faciunt, sic *otec* dicunt *otcom*, vel *otcem*, prout aliae dialecti *stolem*, vel *stolom*; *korabljem*, vel *korabliom etc.* Porro aliqua vocabula in communi usu efferuntur in genitivo singulari per *u*: sic *vosk*, *vosku*, *lies*, *liesu*, *most*, *piesok*, *riad*, *jad*, *polk* legio, *roj*, *boj*, sublimor tamen stylus, generalem eamque logicam sequitur scribendi rationem, uti *doma*, *mosta etc.* Genitivus scilicet per *a* semper effertur. Accusativus singularis rerum animatarum in Bibliis antiquis nominativo etiam similis legitur, vivae tamen dialecti, uti et Russica, nomina rerum animatarum genitivo singulari conformiter efferunt, sic e. g. in antiquis legitur: *Privjedox sin moj k tebje*, adduxi filium meum ad te, recentiores vero editiones conformant se vivis dialectis: *privjedox sina mojego k tebje*, ast et haec loquendi ratio exstat in antiquissimis Bibliis tamquam originalis Slavica expressio, prior enim magis Graecum textum, quam Slavicum genium redolet.

§. 10.

De plurali masculino apud Russos sunt sequentia: Regularis nominativi pluralis terminatio est *i*, velut apud alios Slavos, ast quemadmodum aliae dialecti admittunt sic dictam adjectivalem terminationem, uti *sini* vel *sinove*, *muži*, vel *mužove*, Russi illud *e* euphoniae caussa mutant in *a*, sic *sinovia*, *mužovia*, *stavotoja*, *kumovja*, *kum* patrinus etc. Sunt tamen aliquorum vocabulorum terminationes numeri pluralis in *a*, uti: *bok*, *rog*, *rukav bereg*. ripa, *golos* vox, *obraz*, in numero plurali *boka*, *roga etc.* loco *boki*, *rogi*, *rukavi etc.* verum haec sunt manifesta dualis numeri vestigia, quae in omnibus dialectis existunt, sic in Pannonia, *liudja*, *bratja*, *hostja etc.* loco *ljudi*, *hosti*, *bratji*, talem nominativum pluralem in *a* Grammatici accentu notant *à* ad distinctionem genitivi singularis; hinc sequitur regularem terminationem nominativi pluralis esse *i*, vel etiam adjectivalis conformiter vivis et veteri dialecto, sic: *sini*, *kameni*, *svati* vel *sinove*, *kamenove svatove. etc.*

§. 11.

Genitivi pluralis characteristica est *ov* vel *ev*; nam, et nomina, quae inflectuntur ut *korabl*, exeuntia scilicet in *j*, ut *pokoj*, *zlodej*, habent genitivo plurali, *ov* vel *ev*, ut *poko-*

jev, *zlodejev* Russico more, in aliis vero dialectis *pokojov zlodejov*, nam et *korabl* in aliis dialectis per *ov*, vel *ev* in genitivo plur. effertur. Poloni, ac meridionales dialecti aeque hanc characteristicam agnoscunt, aliqua quidem vocabula meridionalibus dialectis aliter in dicto genitivo plurali efferuntur, sic *gost*, aliquae dicunt genitivo plurali *gosti*, loco *gostov* in aliis dialectis, sic *muz* Vindi dicunt more neutrorum genitivum pluralem *muz*, aliae vero dialecti regulariter, et vice versa, ut adeo facta combinatione sequens generalis regula nullis exceptionibus debilitanda subsistat.

	Singularis	Pluralis.
N.		*i*, *vel adjectivalis ve.*
G.	*a*	*ov*
D.	*u* — vel *vi*	*om*
A.	*animatus a* *inannimatus ut nom.*	*ut nominativus inanimat*, v. ut *genit. animat.*
V.	*ut nominativus.*	*Nominativo similis*
L.	*u*, vel *e*	*ax*
In.	*om*, vel *em.*	*ami.*

§. 12

Polonus Grammaticus masculinorum inflexionem 12 paradigmatibus illustrat, ast quia plurima concordant, juvabit 4 solum exponere, duo scilicet annimatarum, duo vero inanimatarum rerum, sic

	Singulari.		Plurali.	
N.	*Krol,*	*Rak.*	*Krolovie,*	*Raki.*
G.	*Krola,*	*Raka.*	*Krolov,*	*Rakov.*
D.	*Krolovi,*	*Rakovi.*	*Krolom,*	*Rakom.*
A.	*Krola,*	*Raka.*	*Krolov,*	*Raki.*
V.	*Krolu,*	*Raku.*	*Similis,*	*nomin.*
S.	*Kroliem,*	*Rakiem.*	*Krolami,*	*Rakami.*
L.	*v. Krolu,*	*Rakiu.*	*Krolax,*	*Rakax.*

	Singulari.		Plurali.	
N.	*Noz,*	*Skarb.*	*Noze,*	*Skarbi.*
G.	*Noza,*	*Skarbu.*	*Nozov,*	*Skarbov.*
D.	*Nozovi,*	*Skarbovi.*	*Nozom,*	*Skarbom.*
A.	*Noz,*	*Skarb.*	*Noze,*	*Skarbi.*
V.	*Nozu,*	*Skarbie.*	*Nozé,*	*Skarbi.*
S.	*Nozem,*	*Skarbem.*	*Nozami,*	*Skarbami.*
L.	*Nozu,*	*Skarbie.*	*Nozax,*	*Skarbax.*

Nomina rerum animatarum in singulari non discrepant, in plurali vero discrepant, scilicet *krol* dicitur *krolovie* et *rak* *raki*, verum haec discrepantia fundatur tantum in variante usu, non vero in genio Slavicae linguae, nam *krol* in aliis dialectis dicitur in nominativo plurali *kroli* prout et *rak,raki;krolovie* enim est adjectivalis inflexio, quam e genio linguae, non tantum nomina Personarum honoratiorum, uti Polonus autumat, sed etiam aliorum masculinorum, maxime substantiam aliquam denotantium recipiunt, id patet e veteri dialecto, in qua dicitur et *mevove*, *dezdove*, *kamenove*, ergo et *rakove* prout et *krolovie* genio

linguae conformiter dicitur prout et *nozi*, *nozove*, vel *noze*, nam si in dativo singulari tantum adjectivaliter exponitur, cur inflexio haec in plurali respueretur?

§. 13.

Inanimatorum masculinorum inflexio duobus aeque illustratur exemplis, scilicet *skarb*, et *noz*, quorum inflexio et in vicem et cum prioribus in essentia concordat, solum quod inanimatorum accusativus conformis sit nominativo; ast Grammaticus distinguit etiam terminationem genitivi singularis scilicet *skarbu*, *noza*, verum Polonica Grammatica eo loco, ubi agit de terminatione genitivi in *a* vel *u*, est revera memoriae crux, sed nec secus fieri potest, nam dialecticus Grammaticus debet dialectum uti est exponere, quae fundatur in usu, usus vero mutatur, necessario et Grammatica fixis regulis destituitur, quare frustra Grammaticus assignat 48 terminationes, quibus assignat Genitivi terminationem in *u*, nam totidem exceptionibus assignatae terminationes debilitantur, quam rem fusius pertractat erudttissimus *Bandtke* in Gramm. pag. 53 usque 90.

Terminationem masculinorum omnium in singulari genitivo per *a* esse genuinam et omnibus dialectis conformem testantur ipsi antiquissimi Polonici libri, in quibus legitur: *Rim*, *Rima*, *Dunaj*, *Dunaja*, *jastrab* *jastraba*,

liud, liuda, pokoj, pokoja, quibus tamen Grammaticus praesenti usui accommodans terminationem in *u* tribuit; sed nec secus Grammaticus dialecticus facere potest, quam ut usum, prouti est, sincere exponat, nec enim ejus est inquirere in causas harum, vel aliarum terminationum, cur prius dicebatur *pokoja* nunc vero *pokoju*, Grammatico enim dialectico usus sancit regulas: ast secus se res habet cum Grammatica Slavica logice elaborata, seu cum lingua logice culta, talis enim Grammatica usum stricte examinat, cum aliis dialectis combinat, claritati studet, principia linguae firma, usu fundata eruit, talis culturae jam sunt vestigia in Russica, ubi sublinior usus non aliam, quam *a* genitivi terminationem masculinorum admittit.

Porro localis *skarb* per *e*, *noz* vero per *u* effertur, hinc tantum hoc patet, terminationem localis esse genuinam per *e* vel *u*, non autem hoc, aliqua nomina gaudere solum *u*, alia vero *e* locali terminatione, nam meridionales Slavi vix noscunt localis aliam, quam in *u* terminationem, ex quibus patet superius adnotatas masculinorum terminationes, ipso etiam Polonorum usu confirmari.

§. 14.

Bohemus masculinis duas statuit formas, utramque vero quatuor paradigmatibus illustrat, una scilicet forma animatarum, altera vero inanimatarum est rerum.

Singulari.

N.	*Xlap,*	*Hrač,*	*Dub,*	*Meč.*
G.	*Xlapa,*	*Hrače,*	*Dubu,*	*Meče.*
D.	*Xlapu,*	*Hrači,*	*Dubu,*	*Meči.*
A.	*Xlapa,*	*Hrače,*	*Dub,*	*Meč.*
V.	*Xlape,*	*Hrači,*	*Dube,*	*Meči*
L.	*Xlapu,*	*Hrači,*	*Dube,*	*Meči*
S.	*Xlapem,*	*Hračem,*	*Dubem,*	*Mečem.*

Plurali.

N.	*Xlapi,*	*Hrači,*	*Dubi,*	*Meče.*
G.	*Xlapů,*	*Hračů,*	*Dubů,*	*Mečů.*
D.	*Xlapům,*	*Hračům,*	*Dubům,*	*Mečům*
A.	*Xlapi,*	*Hrače,*	*Dubi,*	*Meče.*
V.	similis nomininativo.			
L.	*Xlapix,*	*Hračix,*	*Dubix,*	*Mečix.*
S.	*Xlapi,*	*Hrači,*	*Dubi,*	*Meči*

Haec diversa nominum inflectendi forma est dialectica, Bohemis tantum propria, secundum enim alias dialectos hae formae ad unam reducuntur, cum ea communi omnibus dialectis observatione, quod animatorum accusativus genitivo sit conformis, et quidem nom. — gen. *a*, dativ. *u*, accusat. animatorum ut genitivus, secus ut nominativus, vocativus ut nominativus, vel *u*, vel *e*, localis *u*, socialis *m*. Plur. nominativus *i*, vel adjectivalis formae *ove*, sic *xlapove, dubove, hračove, mečove,* vel per syncopen abjecto *ov*, sic ex *mečove, meče,* ex *dežedove*, *dežde*, genit. *ov*, dativ. *om*, vel *am*, accusat. ut nominativus inanimatorum, ut genit. vero animatorum, vel per totum ut nom. loc. *ox*, soc. *ami*.

§. 15.

Ceterum id peculiaris observatur in dialecto Bohemica, quod aliquorum nominum sing. genit. per *e* efferatur, uti *have, meve, pritele etc*, haec terminatio genitivi in nulla alia dialecto reperitur, unde et Eruditissimus Auctor eam recentiorem esse dicit loco *a*, quemadmodum et genitivum plur. *xlapů* loco *xlapuo* ex originali *xlapov* recentius inductum.

Bohemi socialem pluralem potissimum abbreviant, quemmadmodum in paradigmate expositum est *xlapi, dubi, hravi, mevi*, loco *xlapmi, dubmi etc*, vel *xlapami etc:* monet tamen magnae eruditionis Grammaticus hanc syncopationem esse vitandam tunc, si ex ea ambiguitas oriretur, et sic in essentia et Bohemica cum reliquis convenit dialectis.

§. 16.

In Pannonia omnes fere Slavicae dialecti sunt in usu; nam in omni fere Comitatu alio accentu, aliaque prosodia utuntur; et quidem Pannonii medii multum ex veteri dialecto habent, ad limites Galliciae Polonis, aut magis ortum versus Russis, aut Magyaris mixti Slavi magyiarisant; in Sopronensi, Mosoniensi, Castriferrei, et Saladiensi Comitatu sunt Vindi, Croatae, in Bacsiensi provincia, et Bannatu Serbi, et Bulgari etc., cultiores vero iique litterati Sla-

vi protissimum Bohemicis libris delectantur, ob inopiam librorum in Pannonica dialecto scriptorum, hujus dialecti primus glaciem fregit Vir piae memoriae, et de litteratura Pannonica meritisimus D. Bernolak, edidit nempe primus Grammaticam Pannonicae dialecti, quae quidem ab omnibus non probatur, quod unius tantum provinciae dialecto semet accommodaverit, ast si se omnibus in Pannonia usitatis dialectis stricte accommodavisset, non Grammatica, sed vastum chaos exortum fuisset; quidquid est, vir tamen hic indefessus Grammaticam Pannonicam concinnavit, quid itaque in ea de inflexione masculinorum? isthic duae statuuntur masculinorum formae ternis exemplis illustratae.

Declinatio I Masculinorum animatorum.

Singulari.

N.	*Sluha,*	*Sudce,*	*Pan.*
G.	*Sluhi,*	*Sudca,*	*Pana.*
D.	*Sluhovi,*	*Sudcovi,*	*Panovi.*
A.	*Sluhu,*	*Sudca,*	*Pana.*
V.	*Sluho,*	*Sudce,*	*Pane.*
L.	*Sluhovi,*	*Sudcovi,*	*Panovi.*
S.	*Sluhom,*	*Sudcom,*	*Panom.*

Plurali.

N.	*Sluhi,*	*Sudci,*	*Pani.*
G.	*Sluhov,*	*Sudcov,*	*Panov.*
D.	*Sluhom,*	*Sudcom,*	*Panom.*
A.	*Sluhov,*	*Sudcov,*	*Panov.*
V.	*Sluhi,*	*Sudci,*	*Pani.*

L.	*Sluhox,*	*Sudcox,*	*Panox.*
S.	*Sluhmi,*	*Sudcmi,*	*Panmi.*

Declinatio. II inanimatorum.

Singulari.

N.	*Dub,*	*Dezd,*	*Dobitek.*
G.	*Duba,*	*Dezda,*	*Dobitku.*
D.	*Dubu,*	*Dezdu,*	*Dobitku.*
A.	*Dub,*	*Dezd,*	*Dobitek.*
V.	*Dube,*	*Dezdu*	*Dobitku.*
L.	*Dube,*	*Dezdu,*	*Dobitku.*
S.	*Dubom,*	*Dezdom,*	*Dobitkom.*

Plurali.

N.	*Dubi,*	*Dezde,*	*Dobitki.*
G.	*Dubov,*	*Dezdov,*	*Dobitkov.*
D.	*Dubom,*	*Dezdom,*	*Dobitkom.*
A.	*Dubi,*	*Dezde,*	*Dobitki.*
V.	*Dubi,*	*Dezde,*	*Dobitki.*
L.	*Dubox,*	*Dezdox,*	*Dobitkox.*
S.	*Dubmi,*	*Dezdmi,*	*Dobitkmi.*

§. 17.

Antequam de his masculinorum formis quidpiam dicatur, interest prius super hac voce *Sluha*, seu *Sluga* ratiocinari; isthoc vocabulum omnis fere dialectus aliter inflectit; et quidem Russus haec vocabula: *Sluga*, *Vojvoda*, seu *Bojvoda*, *Vladika* refert ad faemininam declinandi formam ideo, quia terminantur in *a*,

quae terminatio solum faemininis propria e genio linguae Slavicae; masculinorum enim terminatio est in consonam semper, praedicta vero vocabula sunt graeco-latinizata, Slavice enim originarie dicitur *slug* vel *slux*, unde *poslux* testis auritus, a *posluxati* auscultare, vel etiam obtemperare, quod servorum est, venit, tum *Vojvod*; *Bojvod* antiquis et *Vladik* in nominativo: non equidem inficior, vocabula haec jam in antiquissimis codicibus cum finali vocali *a* legi; interim tamen *Vladika*, *Vojvoda*, loco *Vladik*, *Vojvod* in nominativo omni nato Slavo est quidpiam violenti, et primo obtutu haec terminatio contra genium linguae esse adparet; hinc Russi vocabula haec *sluga*, *Vojvoda*, *Vladika* tamquam muliebri amictu induta ad faemininam inflectendi formam transtulerunt absque omni exceptione, aliarum vero dialectorum Grammatici ut masculina inflectunt ex significatione, alii ut faeminina ex terminatione, alii utramque formam commiscent; Pannonius Grammaticus plane pro paradigmate masculinorum statuit; ast paradigma hoc non subsistere vel inde patet, quia huic paradigmati non nisi peregrina eaque graecolatinisata obtigerunt vocabula, uti sunt: *armalista*, *gardista*, *Evangelista*, *Patriarcha*, *Levita*; horum enim Slavica terminatio est: *armalist*, *gradist* etc.

§. 18.

Pro paradigmate animatorum sumsit alterum vocabulum *Sudce*, isthoc vocabulum est

genuinum Slavicum, verum terminatio dialectica, et quidem Bohemica, nam Slavica masculina nec in veteri, nec in ulla alia viva dialecto praeter Bohemicam leguntur, quae in nom. in *e* terminarentur, haec enim terminatio est neutris propra, Slavica enim genuina terminatio est *sudec*, *sudnik*, *sudiar* a *suditi*. Tertium paradigma est *pan* quod idem est ac *gospod*, *gospon*, *gospan*, abjecto *gos* ortum est *Pan*, *Ban*. Jam vero haec paradigmata inflexione differunt in Grammaticali expositione, sic *sluha* exponitur in genit. *sluhi*, in accus. *sluhu*, in plurali vero concordant omnia tria.

§. 19.

Inanimata vero *dub*, *dezd*, *dobitek*, et quidem, *dub*, genitivo *duba etc.* recte contraria Bohemicae Grammaticae, quae *dub* aeque pro paradigmate statuit, et *u* genit. terminationem eidem tribuit *dubu*, quid itaque hic facto opus, quis erit aequus Iudex? Porro loccalis cujusvis paradigmatis est aliter uti: *dube*, *dezdi*, *dobitku*, in numero plurali *dubi*, *dezde etc*, hae terminationes diriguntur quidem regulis, et exceptionibus, ast si quis linguam Slavicam in Bohemica dialecto discat, aliis rursus obruitur regulis, et exceptionibus, quae sunt tantum unilaterales, dialecticae, in Logica sana plane non fundatae; ad diversitates itaque has tollendas consulamus usum et rationem, tum combinationem aliarum dialectorum in auxi-

lium vocemus. Quod usum concernit, in ipsa Pannonica dialecto, (nam et ego cum auctore sum ejusdem dialecti, eodemque prope loco natus) praemissa paradigmata praeter expositam formam aliter etiam inflectuntur; dicitur enim: *Toho sluha plat*; seu *togo sluga plat*, ergo non semper genitivo singulari in *i* uti paradigmata exponit; audivi pariter: *svojeho sluha sem videl etc.* ergo et accusativo non semper *sluhu* ut faeminina, sed ut masculina *sluha* effertur. Tum in nominativo plurali non tantum *sluhi etc*, sed etiam more veterum *sluhove, sudcove, panove* vel more Russorum *sluhovja, sudcovja, panovja* est in usu, apud Pannonios localis non tantum abbreviatus est in usu, ut *sluhmi etc*, sed etiam *sluhami*, vel plane abbreviatus *sluhi etc. Dezd* in nominativo plurali non tantum *dezde*, sed etiam *dezdi*, *dezdove*, nam *dezde* est tantum abbreviatum ex *dezdove etc*; hinc vel ipso usu omnia paradigmata ad unam reducuntur formam; si vero rationem et combinationem dialectorum consuluerimus, non plures quam una masculinorum forma admitti cum ratione potest; nam quod una dialectus excipit, altera non excipit et vicissim, quare Pannoniorum sex paradigmata genuine Slavice unam sequentur formam, et quidem.

Singulari.

N. Slug, *sudec*, *pan*, *dub*, *dezd*, *dobitek.*
G. Sluga, *sudca*, *pana*. *duba*, *dezda*, *dobitka.*

D. Slugu, sudcu, panu, dubu, dezdu, dobitku v. ovi
A. animata ut *genitivus, inanimata* ut *nominativus.*
V. ut *nominativus more Rusorum* et *meridionalium*
L. ut *dativus in u.*
S. Slugom etc.

Plurali.

N. Slugi, sudci, pani, dezdi, dobitki, dubi, v. *in ove, dubove etc.*
G. Slugov, sudsov etc.
D. Slugom vel *Slugam etc.*
A. animatorum ut *genitivus, inanimator* ut *nom.*
V. ut *nominativus.*
L. Slugox vel *ax, etc.*
S. Slugami, dubami, vel *abbreviate dubmi* v. *dubi*

Ex quibus patet singullarium dialectorum difformitatem combinatione tolli, linguamque logice cultam effici, eique majorem claritatem, facilitatem ac svavitatem conciliari, quid enim clarius ac facilius unamne an vero 6, 7, 8, *etc.* formas inflexionum sequi, quid svavius concursum consonarum temperari, an vero regulis obrui quando nempe et ubi vocalis jam in radice existens expungenda sit, quae omnia in dialecticis adsunt Grammaticis adeo, ut Lectori ipsi taedium parere debeant. Haec tamen omnia a dialecticis non posunt abesse Grammaticis, nam dialectici snnt tantum collectores, referentesque eorum, quae observarunt.

§. 20.

Videamus ex meridionalibus Dialectis Eruditissimi Kopitar Grammaticam, quoad masculinorum inflexionem.

	Singulari.		Plurali.	
N. V.	*Rak,*	*Kraj,*	*Raki,*	*Kraji.*
G.	*Raka,*	*Kraja,*	*Rakov,*	*Krajov.*
D.	*Raku,*	*Kraju,*	*Rakam,*	*Krajam.*
A.	*Raka,*	*Kraj,*	*Rake,*	*Kraje.*
L.	*Raku* (*i*)	*Kraju* (*i*)	*Rakih,*	*Krajih.*
In.	*Rakam,*	*Krajam,*	*Rakmi* (*ki*)	*Krajmi*(*ji*)

Exponitur etiam dualis numerus, qui apud Carinthios, Carniolos et Styrios hucdum est in usu, quem antea omnibus dialectis communem fuisse apparet ex vestigiis, quae in omnibus dialectis permanserunt, sic Pannonius Carpaticus communiter loquitur: *moji bratia, s mojima bratama, volama, ovcama etc.* quin ratio numeri dualis habeatur, qui in nom., acc. et voc. exit in *a*, in sociali vero in *ma*, reliqui casus ut pluralis inflectuntur, quum vero nunc dualis numerus in Russica, Polonica, Bohemica, et meridionalibus dialectis a plurali non distinguatur, ab eo stricte in usum inducendo supersedendum duxi, quin tamen erretur tunc, quum loco opportuno ejusdem usus fiat, ut: *s mojima ovima, nogama, rakama etc.*

§. 21.

Exposita forma Vindorum concordat cum reliquis dialectis, localis pluralis ideo effertur tantum per *h*, quia meridionalibus Slavis sonus *x* profunde gutturalis non est in usu, de cete-

ro in essentia a generali forma nil discrepat. Praeter paradigmata regularia, adjungit etiam tria irregularia;

Singulari.

N. Mož, vir.	*Bog*,	*Tat.* fur.
G. Moža,	*Boga*,	*Tatova*, vel *Tatu.*
D. Možu,	*Bogu*,	*Tatu*, *Tatovu* (*i*)
A. Moža,	*Boga*,	*Tatu*, vel *Tatova.*
L. ut Dativus		
In. Možam etc.		

Plurali.

N. Možje,	*Bogovi*,	*Tatovi*, *Tatje.*
G. Mož,	*Bogov*,	*Tatov.*
D. Možem,	*Bogovam*,	*Tatovam*, *Tatem.*
A. Može,	*Bogove*,	*Tatove* (*Tati*)
L. Možeh,	*Bogovih*,	*Tatovih.*
In. Možmi,	*Bogovmi*,	*Tatovmi.*

Quid de his? Ipse Grammaticus dicit non posse hic assignari certam declinandi cynosuram, adeoque nec regulam defigi, quaenam inflectantur ut *Mož*, quae ut *Bog*, et quae ut *tat*, et revera sane judicat vir doctissimus, potuisset quidem assignare aliquas regulas, sed non fecit ideo, quia observavit eas mox exceptionibus convellendas, interim praedicta tria paradigmata in aliis dialectis sunt regularia, et vicissim, quae aliis dialectis sunt irregularia, Vindis sunt regularia; nam vocabula *sluga*, *vojvoda*, *vladika*,

starej uina, (nec enim plura sunt muliebri forma induta) Vindi regulariter inflectunt, secundum generalem scilicet formam; de quibus acutissimus scrutator genii Slavicae lingvae clare dicit: terminationem vocabulorum masculinorum nom. in *a* linguae Slavicae genio haud esse conformem.

§. 22.

Serborum juxta Clarissimum *Vuk* haec est inflectendi ratio masculinorum:

Singulari.

N.	*Jelen*,	*Kolaч*,	*Ora*, nux juglans
G.	*Jelena*,	*Kolaчa*,	*Oraa.*
D.	*Jelenu*,	*Kolaчu*,	*Orau.*
A.	*Jelena*,	*Kolaч*,	*Ora.*
V.	*Jelenu*,	*Kalaчu*,	*Oraше.*
In.	*Jelenom*,	*Kolaчom*,	*Oraom.*
L.	*Jelenu*,	*Kolaчu*,	*Orau.*

Plurali.

N.	*Jeleni*,	*Kolaчi*,	*Orasi.*
G.	*Jelena*,	*Kolaчa*,	*Oraa.*
D.	*Jelenima*,	*Kolaчima*,	*Orasima.*
A.	*Jelene*,	*Kolaчe*,	*Orae.*

V. ut nominativus.
In. ut dativus.
L. aeque ut dativus.

Inflexio singularis est genuina, ideo etiam cum reliquis consentit; ast pluralis gen. ab omnibus discrepat dialectis, nam nulla est distinctio inter singularem, et genitivum pluralem; Grammaticus quidem genitivum sing. sic scribit: *jelena*, plural. vero *jelêna*, verum signum litterae *e* affixum ita dictum siglam vel kamoram defectum characteristicae *ov* genitivi pluralis non supplet, reliqui casus pluralis uti dat., loc., instr. sunt e duali numero mutuati, interim tamen et dativus in *om* est in usu; sic in palinodia caedis Lazari in Campo merularum legitur: *Dosta mesa i gavranom;* porro et adjectivalis terminatio est in usu, dicitur enim *volovi, sokolovi, priatelovi etc.* In reliquis etiam Illyricis dialectis id est peculiare, quod masculina in *l* desinentia per *o* efferantur, sic: *soko, kotao*, loco *sokol, kotal etc.* quam tamen expunctionem nom. *l*, in reliquis cassibus non recipiunt, idem in verborum praeteritis usu venit; sic:

Junak koniu govorio (govoril)
Oj koniucu! dobro moje! etc.

Ex collatione itaque dialectorum clarum est masculinorum inflexionem et usui, et genio linguae conformem esse sequentem absque omni exceptione:

	Singulari.		Plulali.
N.	—	*N.*	*i* vel *ove*
G.	*a*	*G.*	*ov*
D.	*u* vel *vi*	*D.*	*om* vel *am*

A. animata *a*, inanimata ut nominat.	*A.* ut nominat.
V. ut nominat. vel *u*, *e*	*V.* ut nominat.
L. *u*	*L.* *ox*, vel *ax*, vel *ex*.
S. *om*	*S.* *ami*.

Singulari.

N. Sin,	*Vojvod*,	*Posel*,	*Pritel*,	*Kamen*,	*Meч*.
G. Sina,	*Vojvoda*,	*Posela*,	*Pritela*,	*Kamena*,	*Meчa*.
D. Sinu, vel *Sinovi etc.*	*Vojvodu*,	*Poselu*,	*Pritelu*,	*Kamenu*.	*Meчu*.
A. Sina,	*Vojvoda*,	*a*,	*a*,	*Kamen*,	*Meч*.
V. ut nominativus. vel *Sinu*,	*Vojvodu*,	*u*,	*u*,	*u*,	*u*.
L. Sinu,	*u*,	*u*,	*u*,	*u*,	*u*.
S. Sinom,	*m*,	*m*,	*m*,	*m*,	*m*.

Plurali.

N	*Sini*,	*Vojvodi*,	*Poseli*,	*Priteli*,	*Kameni*,	*Meчi*, v. *ove*
G.	*Sinov*,	*Vojvodov*,	*ov*,	*ov*,	*ov*,	*ov*,
D.	*Sinom*, vel *Sinam* ubique *om*, vel *am*.					
A.	*Sinov*, vel *sini*, *etc*				*Kameni*,	*Meчi*.
V.	*ut* nominativus.					
L.	*Sinox*, *Vojvodox*, *etc.* vel ubique per *ax*.					
S.	*Sinami etc.* ubique aequaliter.					

De inflexione foemininorum.

§. 1.

Veteris dialecti notissimus Grammaticus foemininorum inflexionem quatuor sequentibus formis illustrat:

Singulari.

N. Voda,	*Volja*,	*Ladija*,	*Cerkov*,	*Kost*.
G. Vodi,	*Volja*,	*Ladija*,	*Cerkve*,	*Kosti*.

D.	*Vodje*,	*Voli*,	*Ladiji*,	*Cerkvi*,	*Kosti*.
A.	*Vodu*,	*Volju*,	*Ladiju*,	*Cerkov*,	*Kost*.
V.	*Vodo*,	*Vole*,	*Ladije*,	*Cerkvi*,	*Kosti*.
S.	*Vodoju*	*Voleju*,	*Ladieju*,	*Cerkviju*,	*Kostiu*.

Plurali.

N.A.V.	*Vodi*,	*Volja*,	*Ladija*,	*Cerkve*,	*Kosti*.
G.	*Vod*,	*Vol*,	*Ladij*,	*Cerkvij*,	*Kostij*.
D.	*Vodam*,	*Voljam*,	*Ladijam*,	*Cerkvam*,	*Kostem*.
L.	*Vodax*,	*Voljax*,	*Ladijax*,	*Cerkvax*,	*Kostjex*.
S.	*Vodami*,	*Voljami*,	*Ladijami*,	*Cerkvami*,	*Kostmi*.

Hae declinandi formae sunt ex antiquis codicibus collectae, vix tamen erro, si existimem, has stricte tantum terminationes horum aliorumque foemininorum obtinuisse, hinc et ipsi eruditi variant, opiniones tamen eorum sic complanari posse puto, quemadmodum de masculinis dictum est, scilicet lingua Slavica prius versionem Bibliorum, quam criticam sui culturam accepit, quaproter non mirum, si in variis codicibus varie legatur; si vero modernas dialectos consideremus, adductas quinque formas secundum unam duntaxat inflectunt, et quidem secundum veterem formam *voda*, ex quo patet et nunc vivas dialectos non recessisse a spiritu veteris dialecti.

§. 2.

Russi foemininorum inflexiones ad duas reducunt formas, scilicet quae in consonam, et vocalem desinunt:

Singulari.

N. Voda, Trost (arundo)
G. Vodi, Trosti.
D. Vodje, Trosti.
A. Vodu, Trost.
L. Vodje, Trosti.
S. Vodoju, Trostju.

Plurali.

N. Vodi, Trosti.
G. Vod, Trostej.
D. Vodam, Trostam.
A. Vodi, Trosti.
L. Vodax, Trostjax.
S. Vodami, Trostami.

Ad foeminina referunt etiam masculina, pauca, quae in *a* terminantur, uti *Vojvoda, Sluga, Vladika* (dynasta) *sudja*, (loco *sudjar*) Nonnulla sunt item apud Russos *a* terminationis tam masculinis, quam foemininis propria uti: *Zapivoxa* potator et potatrix, *Obzora* vorax, *Kusaka* mordax, *Zajka* haesitans in sermone; ast genio linguae convenientius est masculinis distinctam per consonam, foemininis vero per vocalem *a* terminationem tribuere, sic: *Zapivox, Zapivoxa, obzor, obzora etc.* Quia vero genit. pluralis formatur a nominativo plurali abjecta littera *i* uti *vodi, pili, etc. vod, pil, etc.* si tamen abjectio haec concursum consonarum relinqueret, eae mitigantur per interjectas vocales, sic *doska* asser, numero plurali *doski*, ab-

jecto *i* esset *dosk*, verum interjicitur vocalis *dosok*, *vodki*, *vodok*, *igli*, *ikri*, *igol*, *ikor etc.* quod fit etiam in aliis dialectis; unde Russorum haec inflectendorum foemininorum forma adeo est genio linguae conformis, et ad regulas Logicae et Philologiae exacta, ut eam omnes dialecti, si quae differrent, tuto adoptare possint; nam nomina in vocalem desinentia conformiter veteri dialecto inflectunt, uti patet ex paradigmate utriusque dialecti, quae vero in consonam desinunt, inflectunt pariter conformiter veteri, et vivis dialectis, ut adeo ipsi Vindi in hac forma consentiant, sic e. g. *reч*, *G. reчi*, *D. reчi*, *A. reч*, *L. reчi*, *Soc. reчio. etc.* est velut *trost*, vel *kost* veteris dialecti, quod vero socialis per *o* terminetur, causa est, quia meridionales loco *u*, *o* littera delectantur, idem obtinet et in verbis, loco *budu*, *budo*, *pisaju*, *pisajo etc.*

§. 3.

Poloni ab hac forma pariter in essentia non differunt: sic e. g.

Singulari.

N.	*Riba*,	*Kość* (*Kost*)
G.	*Ribi*,	*Kosci*,
D.	*Ribie*,	*Kosci.*
A.	*Ribę*, (*Ribu*)	*Kość.*
V.	*Ribo*,	*Kośći.*
S.	*Ribą* (*Ribom*)	*Koscią* (*Kosciom*).

L.	*Ribie,*	*Kośći.*

Plurali.

N.	*Ribi,*	*Kosci.*
G.	*Rib,*	*Kości.*
D.	*Ribom,*	*Kośćiom.*
A.	*Ribi,*	*Kośći.*
V.	*Ribi,*	*Kośći.*
S.	*Ribami,*	*Kośćiami.*
L.	*Ribax,*	*Kośćiax.*

Inflexio quidem foemininorum 16 paradigmatibus illustratur, quae tamen ab hisce adductis formis duabus in essentia haud differunt; nisi, quod in vocalem desinentia nonnulla dat. singularem conformem habeant genitivo, sic *Ziemia*, gen. et dat. *Ziemi*, in aliis vero dialectis inflectitur ut *riba*, scilicet gen. *Ziemi*, dat. *Ziemie* dein quod aliqua in plurali nom. per *e* efferantur ut: *Ziemie*, *Suknie*, *Sije* (*żije*) colla, tandem quod dat. plur. *om* loco *am* recipiat, verum hae exiguitates nullam difformitatem pariunt, vocales enim in ore loquentium facile mutantur, quod et experientia docet et libri etiam polonici antiquissimi testantur, quippe in libris polonicis multa foeminina in genit. sing. per *e* leguntur, quae tamen nunc per *i* efferuntur, sic *tvierdza* prius genit. *Tvierdze*, nunc *Tvierdzi*, *Ziemie*, nunc *Ziemi*, *pivnice* nunc *pivnici*, *krvie* nunc *krvi*, et vice versa, quae saeculo 17 obtinebant, saeculo vero 18 disparuerunt, sic prius *Siestra*, *żenia*, nunc

Sostra, *zona etc.* Legitur etiam genit plur. more masculinorum in *ov*, qui nunc penitus cessavit, porro dativus pluralis nunc communis est in *om* more masculinorum, antea vero per *am* efferebatur, uti *Ribam*, *Pivnicam etc.* loco moderni *Ribom*, *Pivnicom etc.* quae modica diversitas unice ab usu vario est repetenda; quemadmodum enim Natio Polonica varias vicissitudines subivit, ita et dialectus haec Slavica varias habuit mutationes, ut adeo lingua gentis alicujus criticae examinata non obscuram gentis ejusdem historiam suppeditet, saeculo enim 16 lingua Polonorum maxime floruit, bella dein civilia gentem cum lingua nimis debilitarunt, factiones domesticae magis disciderunt, Gallorum vero societas maxima sui vestigia in ipsa etiam lingua reliquit etc. recentiora tamen tempora plurimum boni pollicentur, nam exsurgunt amplae eaeque potentes societates pro Nationali cultura elevanda, uti Varsaviensis:

Tovaristvo osviati, i culturi narodnej.

§. 4.

Bohemi tres declinationes statuunt pro inflectendis foemininis.

Sinngulari.

N. Kost,	*Riba*,	*Zeme.*
G. Kosti,	*Ribi*,	*Zeme.*
D. Kosti,	*Ribe*,	*Zemi.*

A.	*Kost*,	*Ribu*,	*Zemi.*
V.	*Kost*,	*Ribo*,	*Zemi.*
L.	*Kosti*,	*Ribe*,	*Zemi.*
S.	*Kosti*,	*Ribau*,	*Zemi.*

Plurali.

N.	*Kosti*,	*Ribi*,	*Zemi.*
G.	*Kosti*,	*Rib*,	*Zemi.*
D.	*Kostem*,	*Ribam*,	*Zemim.*
A.	*Kosti*,	*Ribi*,	*Zeme.*
V.	*Kosti*,	*Ribi*,	*Zeme.*
L.	*Kostex*,	*Ribax*,	*Zemix.*
S.	*Kostmi*,	*Ribami*,	*Zememi.*

Kost et *Riba* inflectitur veteri, reliquisque dialectis conformiter, praeter quod soc. sing. in Veteri non *kosti*, sed *kostiu* legatur; *Zeme* vero Russis *Zemlia*, Polonis *Ziemia*, Pannoniis *Zem* Bohemi e genio dialecti a mutarunt in *e*, licet in aliis dialectis foeminina in *e* nuspiam observentur. Pannonii *Ziemia* inflectunt et ut *Kost* = *Zem*, et ut *Voda* = *Ziemia* idque ex usu.

§. 5.

Pannonius Grammaticus foemininorum inflexionem tribus proponit formis, scilicet:

Singulari.

N.	*Ovca*,	*Osoba*,	*Čnost.*
G.	*Ovce*,	*Osobe*,	*Čnosti.*
D.	*Ovci*,	*Osobe*,	*Čnosti.*

A.	*Ovcu,*	*Osobu,*	*Чnost.*
V.	*Ovco,*	*Osobo,*	*Чnost.*
L.	*Ovci,*	*Osobi,*	*Чnsti.*
S.	*Ovcu,*	*Osobu,*	*Чnostu.*

Plurali.

N.	*Ovce,*	*Osobi,*	*Чnosti.*
G.	*Ovec,*	*Osob,*	*Чnosti.*
D.	*Ovcam,*	*Osobam,*	*Чnostam.*
A.	*Ovce,*	*Osobi,*	*Чnosti.*
V.	*Ovce,*	*Osobi,*	*Чnosti.*
L.	*Ovcax,*	*Osobax,*	*Чnostax.*
S.	*Ovcami,*	*Osobami,*	*Чnostami.*

Grammaticus nonnullos casus vocabulorum *ovca* et *osaba*, adeoque et illorum, quae huc anxie referuntur, distinguit, quae distinctio in usu certe obtinet, ast etiam uniformitas inflexionis obtinet et quidem juxta veteris dialecti paradigma *voda*, *чuost* vero ut *kost* in veteri inflectitur. Porro socialis sing. dicitur etiam *s ovcov*, *osobov*, *kostov etc*, ex quibus patet dialectorum seorsivarum varias terminationes non in genio linguae, sed in vario usu fundari, quod enim una dialectus per *i*, id alia per *e* effert et vice versa, quod mox Slavo = Carinthica dialectus confirmabit, quorum eruditissimus Grammaticus foeminina his prae caeteris illustrat paradigmatibus:

Singulari.

N.	*Riba,*	*Voda,*	*Misel.*
G.	*Ribe,*	*Vode,*	*Misli.*

D.	*Ribi,*	*Vodi,*	*Misli.*
A.	*Ribo,*	*Vodo,*	*Misel.*
L.	*Ribi,*	*Vodi,*	*Misli.*
In.	*Ribo,*	*Vodo,*	*Mislio.*

Plurali.

N.	*Ribe,*	*Vode,*	*Misli.*
G.	*Rib,*	*Vod,*	*Misel.*
D.	*Ribam,*	*Vodam,*	*Mislim.*
A.	*Ribe,*	*Vode,*	*Misli.*
L.	*Ribah,*	*Vodah,*	*Mislih.*
In.	*Ribami,*	*Vodami,*	*Mislimi.*

Isthic spiritus inflexionis Slavicae adest, dialectico tamen mixtus, sic in genit. dicit *ribe, vode*, loco in aliis dialectis *ribi, vodi*, et vice versa accusat. *ribo, vodo*, loco *ribu, vodu etc.* Porro plur. nom. *ribe, vode*, loco *ribi, vodi etc.*

§. 6.

Illyrii inflexionem aeque duplicem statuunt, unam in vocalem, alteram in consonam desinentium, licet saepe illam consonam in vocalem mutent sic:

Singulari.

N.	*Muka,*	*Misao* (*Misal, Misel*)
G.	*Muke,*	*Misli.*
D.	*Muki,*	*Misli.*
A.	*Muku,*	*Misao.*

V.	*Muko,*	*Misli.*
S.	*Mukom,*	*Misli; Mislu.*
L.	*Muci,*	*Misli.*

Plurali.

N.	*Muke,*	*Misli.*
G.	*Muka,*	*Misli.*
D.	*Mukama,*	*Mislima.*
A.	*Muke,*	*Misli.*
V.	*Muke,*	*Misli.*
S.	*Mukama,*	*Mislima.*
L.	*Mukama,*	*Mislima.*

Haec inflexio differt a reliquis dialectis in eo, quod nominibus in *a* desinentibus socialem sing. per *om* tribuat loco *u*, verum in usu et haec terminautio promiscue tribuitur, casus vero plurales sunt ex obsoleto duali mutuati, excepto genit. plurali, cui Serbica dialectus terminationem *a* tribuit, sic *muka, noga, zena, kniga, smija,* loco *muk, nog, zien, knig, vod, smij* in aliis dialectis etc verum et hae terminationes in Illyricis passim obtinent dialectis, sic *vatra* bustum, ignis, *vatier.* etc

Ex genio itaque linguae Slavicae, et usu vigente pro foemininis inflectendis duae eruuntur formae, una pro iis, quae in vocalem, altera, quae in consonam desinunt. *e. g.*

	Singulari.		Plurali.	
N.	*Brana,*	*Milost.*	*Brani,*	*Milosti*
G.	*Brani,*	*Milosti.*	*Bran,*	*Milosti.*

D.	*Branie,*	*Milosti.*	*Branam,*	*Milostiam.*
A.	*Branu,*	*Milost.*	*Brani,*	*Milosti.*
V.	*Brano,*	*Milost.*	*Brani,*	*Milosti.*
L.	*Branie,*	*Milosti.*	*Branax,*	*Milostiax.*
S.	*Branů,*	*Milostiu.*	*Branami,*	*Milostiami.*

Si vero penitius dialectos adhuc expenderimus, observabimus foeminina in una dialecto per consonam, in alia vero per vocalem efferri eadem vocabula, sic *milostia, postelia, zemia* loco, *milost, postel, zem etc.* ut adeo ex hoc fundamento foeminina etiam per consonam desinentia in nonnullis dialectis inflectuntur ac si in vocalem desinerent, hinc et *Milostia* inflectitur amoene ut *Brana* sicque foemina stricte in unicam reducuntur formam sic *N. Milost* vel *Milostia, G. Milosti. D. Milostie. A. Milostiu. V. Milostio etc* ut *Brana.*

§. 7.

Quaedam de vocabulo *Mati, Matier, Mama, Matka, Majka.* Hoc vocabulum omnes fere dialectici ad irregularem declinandi formam transferunt, interest itaque rationem quaerere, cur id fiat? Isthoc vocabulum eandem radicem habet cum Germanico Mutter, et Graeco Meter, hinc sequitur has lingvas quondam majori cognatione sibi junctas fuisse, si quidem prima idea prolium scilicet Matris eadem fere voce exprimatur; Jam nunc quaeramus Etymon hujus vo-

cis *Mati*, *Mama* *etc*. Certe non aliunde derivatur, quam a verbo *Mati*, *Imati*, habere, vel partu liberari, hinc communis ubique apud Slavos loquendi ratio: *čto* vel *čo*, *co ma tvoja Sestra?* *Sina*, *dceru* *etc*. hinc quem quae sub corde habuit, portavit, naturaliter dicitur illius *Mati*, *Mama*, *Matier* *etc* jam Germani, sui *Mutter* et Graeci *Meter* explanent Etymon, et tunc videbimus, quae sit originalior harum lingvarum.

Nomen filia in veteri dialecto *dušči*, Vindis *či*, Illyris *kči*, *ktji*, Russis *doč* *etc* Dialectici una cum matre ad irregularia referunt, ideo quia in reliquis casibus littera *r* interseritur, quam litteram Polonus. Bohemus, et Pannonius jam in nominat. exprimit, et quidem Polonus *Cora*, vel cum quadam teneritudine *Corka*, *Coruska*, Bohemi *dcera*, Panonii *Cera*; jam si *Cora*, vel *Cera* sumatur, omnis irregularitas evanescit eritque.

Singulari.

N.	*Cora*,	*Matier.*
G.	*Cori*,	*Matieri.*
D.	*Core*,	*Matiere.*
A.	*Coru*,	*Matier*, vel *Matieru.*
V.	*Coro*,	*Matiero.*
L.	*Core*,	*Matiere.*
S.	*Coru*,	*Matieru.*

Plurali.

N.	*Cori*,	*Matieri.*

D.

G. Cor,	*Matier.*
D. Coram,	*Matieram.*
A. Cori,	*Matieri.*
V. Cori,	*Matieri.*
L. Corax,	*Matierax.*
S. Corami,	*Matierami.*

Sic *Mama*, *Mami*, *Mami*, *Mamu*, *Mamo etc.*

Aderit certe et amoenitas, et regularitas usu Polonorum, Bohemorum, et Pannoniorum confirmata, nec enim consistit expressionum vis in multitudine regularum exceptionibus, ac subexceptionibus debilitatarum, verum in genio ipsius linguae; genium vero linguae Slavicae est, ut simul animi affectionem erga objectum sermonis, vel alienationem, contemptumque etc exprimat, hinc oriuntur ita dictae expressiones diminutivae teneritudinis, augmentativae, contemptivae. e. g. *Mama*, *Mamka*, *Mamička*, *Maminka*, *Mamuwka Maminienka*, sunt expressiones teneritudinis filialis atque adeo diversae, ut has expressiones verbis latinis nec exprimere, nec circumscribere valeam, quemadmodum res natis nota est Slavis; similibus expressionibus plena est Slavorum poesis naturalis, eaque originalis, si quidem ejusmodi expressiones plurimum valeant ad affectum declarandum, et objectum colorandum.

Russica Cantilena.

Vstala ja mlada mladenka,
Vstavala ranenko,

Po jutru rano vstavala,
Druga (amantem) provadzala.
Na kryleчuшke (limen) stojala,
Platoчkom (strophio) maxala (motitari.)
Ja platoчkom to maxala,
Чto by mil vrotil sia.
Vroti sia moja nadeza,
Vroti sia serdeчko etc.

Bohemica.

Ukazte mi tu cestiчku,
Kadi nesli mu holчiчku.
Cestiчka je provedoma,
Rozmarinku propletena.
Ukazte mi kosteliчek,
Kde lezi moj Andieliчek etc.

De inflexione Neutrorum.

§. 1.

Neutrorum terminatio e genio linguae est in *o*, vel *e*, et quae pullos animantium, seu tenera animalia denotant, exeunt in *a*, uti *telia*, *dieta*, *gusia jagnia*, *zrebia etc.* vel in *e*, ut *telie*, *dietie*, etc, et haec sunt illa, quae auctionem litterae *t* in reliquis casibus adsumunt; in *e* vero terminantur potissimum verbalia, ut *pisanie*, *oranie etc* inflectuntur vero secundum veterem dialectum sequenti ratione juxta Clarissimi *Dobrovszki* Gramm.

Singulari.

N. A. V.	*Slovo*,	*Lice*,	*Uчenie.*
G.	*Slova*,	*Lica*,	*Uчenija.*

D.	*Slovu,*	*Licu,*	*Uvenju.*
L.	*Slovie,*	*Lici,*	*Uvenji.*
S.	*Slovom,*	*Licem,*	*Uvenijem.*

Plurali.

N. A. V.	*Slovä,*	*Lica,*	*Uvenija.*
G.	*Slov,*	*Lic,*	*Uvenij.*
D.	*Slovom,*	*Licjem,*	*Uvenijem.*
L.	*Sloviex,*	*Licjex,*	*Uveniix.*
S.	*Slovi*	*Lici,*	*Uvenii.*

Haec inflectendi ratio convenit cum vivis etiam nunc dialectis; interim advertendum est socialem plur. in exemplis tantum abbreviatum esse expositum, scilicet: *Slovi, Lici etc* nam integer socialis est *Slovami, Licami, Uvenimi*, syncopationem hanc observant etiam nunc vivae dialecti imprimis Bohemica, et Pannonica, quin tamen integram expressionem respuant, scilicet *Slovmi, Licami, Uvenimi*, id ipsum etiam apud veteres obtinuisse, antiquissima clare indicant Biblia, in quibus tam abbreviatus, quam integer legitur socialis, quod ipse Clarissimus *Dobrovski* ultro agnoscit uti: *igranmi, bezzakonmi, znamenmi.* Porro localis exponitur in *ex*, aut pleni sunt codices etiam in *ox*, *ax*, vocales enim in ore Slavico facillime mutantur, id confirmat non tantum usus dialectorum, sed etiam ejusdem dialecti homines in vicinia sui habitantes, sic in Pannonia alii dicunt *v Slovjex*, alii *Slovax*, alii *Slovox etc.* Idem certe obtinuisse existimo et apud antiquos, hinc fru-

stra torquentur Grammatici in excogitandis observationibus, quandonam characteristicae socialis *x* vocalis *e*, vel *a*, vel *o* praeponenda sit.

§. 2.

Russi neutra inflectunt sequenti ratione:

	Singulari.		Plurali.	
N. A. V.	*Dielo,*	*More.*	*Diela,*	*Morja.*
G.	*Diela,*	*Mora.*	*Diel,*	*Morej.*
D.	*Dielu,*	*Moru.*	*Dielam*	*Morjam.*
L.	*Dielje,*	*Morje.*	*Dielax*	*Morjax.*
S.	*Dielom,*	*Morem.*	*Dielami,*	*Morjami.*

Haec inflectendi ratio convenit et cum aliis dialectis; observat tamen Grammaticus aliquas exceptiones, scilicet: augmentativa per contemptum, quae exeunt in *sko*, ea habere nom. plur. in *i* sic *Domisko*, seu *Domiшko* plur. nom. *Domiшki*, loco alialiarum dialectorum *Domiska*, sic etiam *Domiшчe*, *Domiшчi* loco *Domiшчa*.

§. 3.

Polonus sequenti ratione inflectit neutra:

	Singulari.		
N. A. V.	*Pole,*	*Kazanie,*	*Slovo.*
G.	*Pola,*	*Kazania,*	*Slova.*
D.	*Polu,*	*Kazaniu,*	*Slovu.*
In.	*Polem,*	*Kazaniem,*	*Slovem.*
S.	*v Polu,*	*Kazaniu,*	*Slovje.*

Plurali.

N. A. V.	*Pola,*	*Kazania,*	*Slova.*
G.	*Pol,*	*Kazan,*	*Slov.*
D.	*Polam,*	*Kazaniam,*	*Slovam.*
In.	*Polami,*	*Kazaniami,*	*Slovami.*
S.	*Polax,*	*Kazaniax,*	*Slovax.*

Polonorum inflectendi ratio convenit cum Russica, haec tamen est exigua observatio, quod localis, seu praepositionalis sing. Russorum per *e* efferatur, Polonorum vero jam per *e*, jam per *u*; Grammaticus quidem conatur regulas exsculpere eorum, quaenam per *e* terminentur, verum eae regulae stabilitatem nec apud ipsos Polonos habere possunt, quum diversarum aetatum Polonici scriptores diverse scribant, e genio quidem lingvae localis sing. dativo conformis esse videtur, id confirmat usus omnium dialectorum imprimis meridionalium, quare aut more Russorum loc sing. per *e* efferatur, quamquam et apud illos promiscue jam per *e*, jam per *u* est in usu, licet Grammaticus nullam hujus usus mentionem faciat aut per *u* more meridionalium scribatur, quod vero Russi loc. etiam per *u* efferant, textus cantilenae docet:

Ti razmiч (*a*) *moju kruчinu* (*b*) *po чistomu poliu etc.*

(*a*) *razmitati* dissipare (*b*) *kruчina,* dolor, tristitia.

§. 4.

Bohemi inflectendis neutris quatuor distinctas tribuunt formas, et quidem:

Singulari.

N. A. V.	*Pole*,	*Slovo*,	*Znameni*,	*Hause.*
G.	*Pole*,	*Slova*,	*Znameni*,	*Hausete,*
D.	*Poli*,	*Slovu*,	*Znameni*,	*Hauseti.*
L.	*Poli*,	*Slove*,	*Znameni*,	*Hauseti.*
S.	*Polem.*	*Slovem*,	*Znamenim*,	*Hausetem,*

Plurali.

N. A. V.	*Pole*,	*Slova*,	*Znameni*,	*Hausata.*
G.	*Poli*,	*Slov*,	*Znameni*,	*Hausat.*
D.	*Polim*,	*Slovum*,	*Znamenim*,	*Hausatum.*
L.	*Polix*,	*Slovix*,	*Znamenix*,	*Hausatex.*
S.	*Poli*,	*Slovi*,	*Znamenimi*,	*Hausati.*

Hae distinctae quatuor declinandi formae in aliis dialectis ad unam normam reducuntur, uti patet e Russica, Polonica forma, quibus et Illyricae dialecti accedunt.

Bohemicum *hause*, et huic similes animalium scilicet tenerorum nomenclationes sunt neutrius generis, et quoad formam declinandi ab aliis nominibus non differt, solum ideo a Grammaticis hujus speciei nomina commemorantur, quod unius syllabae augmentum recipiant in reliquis casibus, talia sunt: *gusja, zerebja, golubja, ovčja, oslia, otročia etc* declinantur regulariter ut *Slovo N. golubja, G. golubiata, D. golubiatu, etc, gusjatu, dietatu, tieliatu etc.* Huc spectant quaedam inanimata, quae in aliquibus dialectis jam in nominativo augmentum recipiunt, uti *ramje, semje, imje, nebje, kol-*

lje (*kolo*), *G. ramjena*, *semjena imjena*, *nebjesa*, *koljesa*; verum in aliis dialectis jam in nominativo isthoc augmentum obtinet: *ramieno*, *semieno*, *imieno*, *nebeso*, *koleso*; et tunc absque omni observatione, vel exceptione ut *Slovo* inflectitur.

§. 5.

Pannoniorum neutra inflectendi ratio in Grammatica exposita est sequens:

Singulari.

N. A. V.	*Stavani*,	v. (*Stavana.*)	*Kura*,	*Srdce.*
G.	*Stavani*	vel *a*	*Kurata*,	*Srdca.*
D.	*Stavani*,	vel *u*	*Kuratu*(*i*)	*Srdcu*(*i*)
L.	*Stavani*,		*Kuratu*,	*Srdci.*
S.	*Stavanim*,	vel *om*,	*Kuratom*,	*Srdcom.*

Plurali.

N. A. V.	*Stavani* (*a*)	*Kurata*,	*Srdca.*
G.	*Stavani*,	*Kurat*,	*Srdc.*
D.	*Stavanim*,	*Kuratam.*	*Srdcam.*
L.	*Stavanix* (*ax*)	*Kuratax*,	*Srdcax.*
S.	*Stavanmi*,	*Kuratami*,	*Srdcmi.*

Statuit Grammaticus isthic ternas formas, ast jam ipsius Grammatici observationes non nisi unam esse debere indicant; nam terminatio originalis non est *Stavan*, nec *Stavana*, sed *Stavanje*, inflectiturque conformiter reliquis dialectis, *stavani* enim abjecto scilicet *e* est recentior Bohemica terminatio.

Dat. sing. exponitur duplici modo, scilicet

u et *i*, verum haec duplex terminatio etiam locali appingi debuisset, id quotidianus evincit usus, dicitur enim: *v srdcu,* vel *srdci, kuratu* vel *kurati.* Porro *Stavani* ponitur in gen. plur, more solum Bohemico, ast dicitur etiam originaliter *Stavian* conformiter reliquis dialectis, quare cautum esto alicujus dialecti Grammaticum stricte sequi, fundantur enim dialecticae Grammaticae non tam in genio linguae, quam in partiali usu, interest itaque plurimum Grammaticam ad regulas Logicae, et Criticae exactam concinnare, Logica enim svadet, regulas absque necessitate non multiplicare —— secus ipsimet nobis, et posteris inanes cudimus difficultates, quare dicendum conformiter genio et reliquis dialectis.

Singulari.

N. A. V.	*Stavanje,*	*Serdce,*	*Kurja.*
G.	*Stavania,*	*Serdca,*	*Kurjata.*
D.	*Stavaniu,*	*Serdcu,*	*Kurjatu.*
L.	v *Stavaniu,*	*Serdcu,*	*Kurjatu.*
S.	*Stavanim* (*om*)	*Serdcom,*	*Kurjatom.*

Plurali.

N.A.V.	*Stavania,*	*Serdca,*	*Kuriata.*
G.	*Stavan,*	*Serdc,*	*Kuriat.*
D.	*Stavaniom,*	v. (*am*)	
L.	*Stavaniox*	vel *ix,* vel *ax.*	
S.	*Stavanami.*		

En unicam eamque regularem, usu quippe comprobatam declinandi rationem; quod vero

aliquorum casuum duplex terminatio sit in usu, id non infringit regulam generalem, sed potius confirmat, quemadmodum et hoc, quod vocales in variis dialectis mutari soleant, uti *e. g. v Stavanix, Stavanax, Stavanox*, nam hujuscemodi vocalium mutatio etiam antiquis cognita fuit Slavis: sic *lozesnex* alibi vero legitur *lozesnax, serdcix, serdcjex, serdcjax, serdcox, bratox, koljenox, selox etc.* manet tamen semper localis terminatio characteristica *x*.

§. 6.

Videamus meridionales dialectos, *e. g.* Serbicam.

Singulari.

N. A. V.	*Pole,*	*Sretenje,*	*Ime.*
G.	*Pola,*	*Sretenja,*	*Imena.*
D.	*Polu,*	*Sretenju,*	*Imenu.*
In.	*Polem,*	*Sretenjem,*	*Imenom.*
S.	*Polu,*	*Sretenju,*	*Imenu.*

Plurali.

N. A. V.	*Pola,*	*Sretenja,*	*Imena.*
G.	*Pola,*	*Sretenja,*	*Imena.*
D.	*Polima,*	*Sretinima,*	*Imenima.*
In.	*Polima,*	—	—
S.	*Polima.*	—	—

Singularis ex asse concordat cum reliquis dialectis, pluralis vero est antiquus dualis; excepto genitivo, qui absolute non respondet

genio liguae Slavicae, ideo etiam discrepat ab omnibus dialectis, vicini enim Slavonitae Serborum isthic differunt.

Singulari.

N. A. V.	*Vreme,*	*Serdce,*	*Pivanje.*
G.	*Vremena,*	*Serdca,*	*Pivanja.*
D.	*Vremenu,*	*Serdcu,*	*Pivanju.*
L.	*Vremenu,*	*Serdcu,*	*Pivanju.*
S.	*Vremenom,*	*Serdcom,*	*Pivanjem.*

Plurali.

N. A. V.	*Vremena,*	*Serdca,*	*Pivanja.*
G.	*Vremenah,*	*Serdcah,*	*Pivanjeh.*
D.	*Vremenom,*	*Serdcom,*	*Pivanjim.*
L.	*Vremenah,*	*Serdcih,*	*Pivanjeh.*
S.	*Vremenama,*	*Serdcima,*	*Pivanima.*

Singularis cum reliquis dialectis ex asse concordat, pluralis vero nonnullae terminationes sunt ex duali sumtae, ut *serdcama*; genitivus pluralis effertur per $x = h$, quae terminatio omnibus generibus in genitivo pluruli est communis, ast haec loquendi ratio nec cum genio linguae, nec cum vivis dialectis conciliari potest, ratio est, quia totus pluralis est mixtus ex plurali, duali, et adjectivorum inflexione, nam adjectiva omnia in genit. plur. habent terminationem in $x = h$; jam quum apud Vindos adhuc dualis numerus sit vivus, et accurate distinctus a plurali, videamus illorum eruditissimum Grammaticum, et genii linguae Slavicae maximum scrutatorem.

Singulari.

N. A. V.	*Serce*,	*Delo*,	*Seme.*
G.	*Serca*,	*Dela*,	*Semena.*
D.	*Sercu*,	*Delu*,	*Semenu.*
L.	*Sercu*, (*i*),	*Delu*, (*i*)	*Semenu.*
S.	*Sercom*,	*Delom*,	*Semenom.*

Plurali.

N. A. V.	*Serca*,	*Dela*,	*Semena.*
G.	*Serc*,	*Del*,	*Semen.*
D.	*Sercam*,	*Delam*,	*Semenam.*
L.	*Sercih*,	*Delih*,	*Semenih.*
S.	*Serci*,	*Delmi*,	*Semeni.*

Haec inflectendi ratio a Clarissimo Kopitar proposita convenit cum reliquis dialectis, adeoque cum genio linguae Slavicae, socialem *serci* exponit tantum abbreviatum, idem enim est, *Serci, Sercmi*, vel *Sercami*, nam alter ejusdem dialecti Grammaticus exponit integre socialem: *letami*, loco *letmi*, vel *leti*, ex quibus manifestum est pro neutris inflectendis nonnisi e genio linguae unicam dari formam et quidem;

Singulari.

N. A. V.	—	*Serce.*
G.	*a*	*Serca.*
D.	*u*	*Sercu.*
L.	*u*	*Sercu.*
S.	*om*	*Sercom.*

Plurali.

N. A. V.	*a*	*Serca.*

G.	—	*Serc.*		
D.	*am*	*Sercam.*		
L.	*ax, ix, ox,*	*Sercax,*	*Sercix,*	*Sercox*
S.	*ami,*	*Sercami.*		

Sectio V.

De inflexione adjectivorum.

§. 1.

Si rationem inflectendorum adjectivorum spectemus, observamus in meridionalibus praesertim dialectis adjectiva cohaerere cum substantivis etiam in terminatione casuum sic: *dam ti sladkega vina, imam vernega prijatelia etc.* loco *sladkego, vernego* in Septemtrionalibus dialectis; jam ex hoc fundamento concordantiae in genit. plur. aeque deberet dici: *lepov obrazov*, si scilicet adjectivum ex amussi concordaret etiam in terminatione cum substantivo, ast in omnibus dialectis adjectiva in genit. plur. per *x* = *h* efferuntur, scilicet: *lepix*, seu *lepih obrazov*, imo Slavonitae plane substantiva omnium generum huic terminationi conformant. sic: *vojakah, vremenah, devicah, milostih etc.* militum, temporum, virginum, gratiarum, imaginum *obrazah etc*, hinc patet inflexionem adjectivorum non dirigi a flexione substantivorum, sed potius inniti flexioni pronominis tertiae personae; nam prono-

minis tertiae Personae characteristica genitivi pluralis in omnibus dialectis est *x*, cui correspondet meridionalibus minus gutturale *h*, quare antequam adjectivorum inflexionem expendamus, refert pronominum flexionem videre.

§. 2.

De Pronomine.

Pronomina in sermone vices nominum obeunt, quorum terminationes in veteri dialecto sequentes sunt:

Singulari.

		M.	F.	N.				
N. az	*Ti,*	*On,*	*Ona,*	*Ono*	vel	*on,*	*Ona,*	*Ono,*
G. Mne,	*Tebje,*	*Onogo,*	*Onaja,*	*Onogo*	—	*Jego,*	*Jeja,*	*Jemu*
D Mnje (mi)	*Tebje (ti)*	*Onomu,*	*Onoj,*	*Onomu,*	vel	*Jemu,*	*Jej,*	*Jemu.*
A. Mna,	*Tja,*	*On(Onogo)*	*Onu,*	*Ono,*	—	*Ji,*	*Ju,*	*Je*
L. Mnje,	*Tebje,*	*Onom,*	*Onoj,*	*Onom*	—v	*Njem*	*Njej*	*Njem*
S. Mnoju.	*Toboju,*	*Onjem,*	*Onoju,*	*Onjem*	—s	*Njim,*	*Nju,*	*Njim.*

Plurali.

		M.	F.	N.		M.	F.	N.
N. Mi,	*Vi,*	*Oni*	*Oni*	*Ona*	vel	*Oni,*	*Oni,*	*Ona.*
G. Nas	*Vas*	*Onjex*			—	*Jix*	—	—
D. Nam,	*Vam*	*Onjem,*	*Onjem,*	*Onjem*	—	*Jim*	—	—
A. Nas,	*Vas*	*Oni,*	*Oni,*	*Ona*	—	*Ja,* v. *Jix*	—	—
L. Nas,	*Vas*	*Onjex*	—	—	—	*Njix*	—	—
S. Nami,	*Vami,*	*Onjemi*	—	—	—	*Nimi*	—	—

Pronomen primae, et secundae personae pro cynosura ineflctendorum adjectivorum servire haud potest, quia destituitur distinctione sexus, verum tertia persona est basis inflectendorum adjectivorum; cujus stamina *ji, ja, jo,* esse videntur.

Prima persona antiquis exprimebatur per *az*, cujus loco nunc in omnibus dialectis obtinuit *ja*, inter Montes Corpaticos auditur etiam *jax*, maxime quando praeterito jungitur, sic *jax robil*, verum isthoc *x* antiqui praeteriti reliquiae esse videntur, scilicet *robix*, loco *robil*.

§. 3.

Russi, sequenti modo inflectunt:

Singulari.

			mas.	foem.	neut.
N.	*Ja,*	*Ti,*	*On*	*Ona,*	*Ono.*
G.	*Mnja,*	*Tebja,*	*Jego,*	*Jeja (jeè)*	*Jego.*
D.	*Mnje,*	*Tebje,*	*Jemu,*	*Jej,*	*Jemu.*
A.	*Mnja,*	*Tebja,*	*Jego,*	*Jeè (Jej)*	*Ono.*
L.	*v Mnje,*	*Tebje,*	*Nem,*	*Nej,*	*Nem.*
S.	*so Mnoju,*	*Toboju,*	*s Nim,*	*Neju,*	*Nim.*

Plurali.

			mas.	foem.	neut.
N.	*Mi,*	*Vi,*	*Oni,*	*Onje,*	*Ona.*
G.	*Nas,*	*Vas,*	*Jix,*	—	—
D.	*Nam,*	*Vam,*	*Jim.*	—	—
A.	*Nas,*	*Vas,*	*Jix,*	—	—
L.	*v Nas,*	*Vas,*	*Nix.*	—	—
S.	*Nami,*	*Vami,*	*Nimi,*	—	—

Haec inflectendi ratio convenit cum veteri dialecto, adeoque cum plurimis dialectis ipsoque genio linguae Slavicae. Genitivus sing. in foeminino dupliciter exprimitur, scilicet

jeja more veterum vel *jee*, quod more nostro scribendi est *jej*, id viva vox Russorum confirmat, acc. sing. foem. pariter per *jee* exprimitur, vetus vero dialectus per *ju*, quam terminationem etiam Russi tum in sermone, tum in aliis pronominibus sequuntur, sic: *tu*, *moju*, *nawu etc*, quare non Grammatici expressio in *jee*, sed potius *ju* est acceptandum, tum quia in veteri dialecto firmatur, tum quia et Russi ita loquuntur, itaque erit:

	Singulari.				Plurali.		
N.	*On*,	*Ona*,	*Ono*.	*N.*	*Oni*,	*Onje*	*Ona*.
G.	*Jego*,	*Jej*,	*Jego*.	*G.*	*Ix*,	—	—
D.	*Jemu*,	*Jej*,	*Jemu*.	*D.*	*Im*	—	—
A.	*Jego*,	*Ju*,	*Ono*.	*A.*	*Ix*,	*Je*	—
L.	*v Nem*,	*v Nej*,	*v Nem*.	*L.*	*v Nix*.	—	—
S.	*s Nim*,	*s Neju*,	*s Nim*.	*S.*	*s Nimi*	—	—

et huic formae e genio linguae innititur inflexio adjectivorum, qua de re inferius. Nunc videamus, quidnam Polonici loquantur Grammatici.

§. 4.

Quoniam Polonorum, et aliarum etiam Slavicarum Nationum pronomina 1mae et 2dae personae quoad inflexionem ad amussim concordant cum veteri, et Russica, nunc examinetur solum inflexio 3ae personae, tamquam suppositae basis inflectendorum adjectivorum. Polonus itaque sequenti modo inflectit:

Singulari.			Plurali.		
N. On,	*Ona,*	*Ono.*	*N. Oni,*	*One,*	*One.*
G. Jego,	*Jej,*	*Jego.*	*G. Jix,*	—	—
D. Jemu,	*Jej,*	*Jemu.*	*D. Im,*	—	—
A. Jego,	*Ją (Ję).*	*Ono.*	*A. Ix,*	*Je*	—
L. v Nim,	*v Nej*	*v Nim.*	*L. v Nix*	—	—
S. s Njim,	*s Nju,*	*s Njim.*	*S. s Nimi*	—	—

Quaevis lingua maxime originalis habet suam Philosophiam. Id elucet imprimis in lingua Slavica, si multiplices ejus dialecti combinentur; sic Polonus Grammaticus dicit in praemissa norma inflectendi pronominis Polonis deesse casus asterisco notatos, alter vero Grammaticus eos exponit; uter vero eorum habeat rectum, est quaestio decisu facilis; si enim praedicti casus sunt in sermone, si sorores Polonicae dialecti notatis casibus non destituuntur; iisdem carere Polonicam repugnat; Grammaticus causam defectus assignat hanc, quod notati casus non nisi cum praepositionibus occurant; ast praepositio non producit novum casum, sed eundem jam adesse debere probat. Interim his intra parenthesim dictis, praeallata pronominis inflexio Polonorum cohaeret cum reliquis dialectis, adeoque cum genio linguae Slavicae.

§. 5.

Bohemorum sequens est inflexio:

	Singulari.			Plurali.		
N.	*On,*	*Ona,*	*Ono.*	*N.* *Oni,*	*Oni,*	*Ona.*
G.	*Jeho,*	*Ji,*	*Jeho.*	*G.* *Jix,*	—	—
D.	*Jemu,*	*Ji,*	*Jemu.*	*D.* *Jim*	—	—
A.	*Jej,*	*Ji,*	*Je.*	*A.* *Je,*	*Je,*	*Ona.*
L.	*v Nem,*	*v Ni,*	*v Nem.*	*L.* *v Nix*	—	—
S.	*s Nim,*	*Ni,*	*s Nim.*	*S.* *Nimi*	—	—

Grammaticus accusativum utriusque numeri valde dialectice exposuit; nam et Bohemus dicit: *Ja sem ho videl*, *ho* enim est abbreviatum ex *jeho*, *jego* originaliter, inde *go* apud meridionales *jega*, *ga* abbreviate; ita pariter in plurali dicitur et a Bohemis: *Jix sem videl*; quare Bohemica etiam haud discrepat a reliquis dialectis. Grammaticus hujus dialecti profunde observat hujus pronominis in nominativo duplicem terminationem esse etiam quoad sensum distinctam, scilicet: *on*, *ona*, *ono* est pronomen demonstrativum; et *ji*, *je*, *je*, vel potius e genio linguae *ji*, *ja*; *jo* esse stricte pronomen tertiae personae; unde *on* in genit. dicitur *onego*; *ji* vero *jego*, quae expressiones et usu, et sensu sunt distinctae, eo tamen non obstante Grammatici utrique nominativum *on*, *ona*, *ono* appingunt; quum vero radicalis tertiae personae stamina e dialectis evanuerint scilicet *ji*, *ja*, *je*, vel *jo*, per *on*, *ona*, *ono* supplentur.

§. 6.

Pannonius sequenti modo inflectit dictum pronomen.

Singulari.

N. On,	*Ona,*	*Ono.*
G. Jeho,	*Jej,*	*Jeho.*
D. Jemu,	*Jej,*	*Jemu.*
A. Jeho,	*Ju,*	*Jeho, (ho) ono.*
L. Nom, Nem,	*Nej,*	*Nom, Nem.*
S. Snjim,	*Nju,*	*Njim.*

Plurali.

N. Oni,	*Oni,*	*One.*
G. Jix,	—	—
D. Jim,	—	—
A. Jix,	*Nje,*	*Jix.*
L. Nix,	—	—
S. Nimi,	—	—

Nom. plur. in faeminino exponitur *oni*, ast dicitur etiam *one*, neutrum plurale rectius esset *ona*, quam more Polonorum *one*, nam et Bohemi neutrum dicunt *ona*.

Serbi, Slavonitae cum Croatis, et Dalmatis sequenti modo inflectunt:

Singulari.

N. On,	*Ona,*	*Ono.*
G. Njega,	*Nje,*	*Njega.*
D. Njemu,	*Njoj,*	*Njemu.*
A. Njega,	*Nju,*	*Njega.*
L. u Njemu,	*Njoj,*	*Njemu.*
S. s Njime,	*Njom,*	*Njime.*

Plurali.

N. Oni,	*One,*	*Ona.*

G. Njix,	—	—
D. Njim vel *Njima*	—	—
A. Nje,	—	*Ona.*
L. v Njix,	—	—
S. s Nimi,	*Njima*,	—

Haec inflectendi ratio convenit, aeque cum genio Slavicae linguae, quod vero genitivus terminetur in *a* masc. et neutr. in singulari, Grammatici hujus causam dant, quod scilicet adjectivum sequatur terminationem substantivi, uti in reliquis casibus id observare licet, verum haec regula habet suas exceptiones, nam neutrius generis accussativus terminatur in *a*, ut *njega*, substantiva vero non ita efferuntur, interim et horum pluralis confusus est cum duali, nam vicini illorum Carnioli et Carinthii Slavi dat. et loc. pluralem non efferunt per *ma*, quod sequens forma docet:

Singulari.

N. On,	*Ona*,	*Ono.*
G. Njega,	*Nje*,	*Njega.*
D. Njemu,	*Nji*,	*Njemu.*
A. Njega,	*Njo*,	*Njega.*
L. Njemu,	*Nji*,	*Njemu.*
S. Njim,	*Njo*,	*Njim.*

Plurali.

N. Oni,	*One*,	*Ona.*
G. Jih,	—	—
D. Jim,	—	—
A. Nje vel *Jih.*	—	—

L.	*Njih.*	—	—
S.	*Njimi.*	—	—

Horum Grammatici aliqui etiam pro cynosura inflectendorum adjectivorum ast tuunt substantiva, ast genitivus pluralis apud eos semper terminatur in *h* = *x* in acjectivis, quae terminatio nunquam obtinet in substantivis, et quidem in nulla dialecto praeter Slavonitas; verum quantum aberret haec expressio a genuina Slavica terminatione, id ostendit praesens usus dialectorum, et vetus Ecclesiastica.

§. 7.

Ex praeadductis pronominis *on* variarum dialectorum inflexionibus, genio Slavicae linguae conformis sequens eruitur forma, quae instar basis inflectendorum omnium adjectivorum deserviet.

Cynosura inflectendorum omnium adjectivorum:

Singulari.

	m.	*f.*	*n.*
N.	*On (ji)*	*Ona (ja)*	*Ono (je, jo)*
G.	*Jego,*	*Jej*	*Jego.*
D.	*Jemu,*	*Jej,*	*Jemu.*
A.	*Jego,*	*Ju,*	*Ono.*
L.	*v Njem,*	*Nej,*	*Njem.*
S.	*s Njim,*	*s Nju,*	*s Njim.*

Plurali.

	m.	*f.*	*n.*
N.	*Oni, (ji)*	*One (je)*	*Ona (ja)*

G. Jix,	—	—
D. Jim,	—	—
A. Jix,	*Je,*	*Ona.*
L. v Nix,	—	—
S. s Nimi.	—	—

§. 8.

Hanc inflexionem et reliqua pronomina cum adjectivis sequuntur; causa vero, cur cynosurae instar inflexionem hanc pro adjectivis statuerim, est, quia dajectiva in omnibus dialectis Slavicis in gen. plur. per omnia tria genera desinunt in *x* conformiter scilicet pronominis tertiae personae; huc accedit, quod in plurimis, iisque vastissimis dialectis adjectiva dicti pronominis inflexionem sequantur; Croatae vero et Slavonitae etiam substantivis omnium generum in dicto casu genit. plur. terminationem *x* = *h*, tribuunt, quae terminatio tamen per abusum irrepsisse videtur, si quidem ea nec in veteri, nec in aliis vivis dialectis observetur, sic e. g. Slavonitae dicunt: *vojakah, vremenah, zenah, dievicah,* loco *vojakov, vremien, zien, dievic etc.* Sed videamus in diversis dialectis adjectivorum inflexionem, utrum proposita cynosura subsistat. In veteri dialecto Clarissimus *Dobrovski* adserit adjectiva alia definitae, alia vero indefinitae esse formae, et quidem adjectiva indefinita sequi inflexionem substantivorum, sic *e. g.*

Singulari.

N. Meч Oster, Plaч Gorek, Dar Blag, Slovo Lubavo, Miaso Junчe.
G. Meчa Ostra, Muẓa Premudra, Raja Boẓija, Vodi Mnogi; etc.
D. Muzu Pravenu, Domu Carevu, Licu Boẓiu, Sinu Jedinorodnu, etc.
A. Glavu Zmievu, Rizu novu, Mzdu Proroчu, Goru Sionju, etc.
L. v Glasie Trubnie, Napaẓiti Tuчnie, Na Vode mnozie etc.
S. Mnogom Jazikom, Boziem Slovom etc.

Pluralis.

N. Kniazi Judovi, Rebra Sjeverova etc.
G. Krup Pшeniчen, Kamien Ognien etc.
D Dverom Zatverenam, Diakonom Чistom etc.
A. Ljudi Xrabri etc,
L. vKoziax Koẓax. Po Mnozjex Dniex etc.
S. Mnogimi Slzami, Nitmi Zlatimi etc.

Jam vero pronominalis inflexio adjectivi sequitur inflexionem pronominis etiam in veteri dialecto; sic in gen. sing. non *meчa ostra,* sed *ostrego, Muẓa premudrego, raja boẓigo,* pariter et in genit. plur. non *krup pшeniчen,* sed *pшeniчnix, kamien ognix,* vel *ognivix.* Nota hic *kamien* in genit. plur. derivari a *kamenie* idest multitudo lapidum, *kamen* vero est lapis, etc. Cur vero prior forma inflexionis adjectivorum indefinita, posterior vero definita a Grammaticis dicatur, Logica ratio assignari

nequit; nam omne adjectivum substantivo junctum ejusdem substantivi qualitatem definit, sive enim dicam: *meча ostra*, vel *meча ostrego* semper qualitas gladii designatur etc quapropter adjectiva substantivis juncta perperam dispescuntur in definita et indefinita; secus tamen se res habet, si adjectivum solitarium, pure pute ut vocabulum qualitatem exprimens consideretur *e. g. nov, xud, zelen, чerven etc uчen, dober, oster etc.* hic quidem intelligitur, quid sit *nov, xud, zelen,* non tamen definitur quid sit illud, cui applicetur; ast si dico *novi dom, xudi чelovek, zeleni strom*, vel more Biblicarum expressionum *чelovik xud, strom zelen, plaч goreh, dar blag etc* jam definitur objecti qualitas, hinc sequitur: sub quacunque forma adjectivum substantivo nectatur, semper definit ejusdem significationem.

Quare rectius inflexio adjectivorum dispescitur in pronominalem, et substantivalem, substantivalis inflexio viget in omnibus septemtrionalibus dialectis uti Russica, Polonica Bohemica, Pannonica, quae non minus fuit in veteri dialecto, ac substantivalis inflexio, meridionales vero dialecti miscent pronominalem cum substantivali inflexione sic *e. g. dobre* vel *dobro sukno*, septemtrionales omnes in genit. dicunt: *dobrego sukna, zutego sukna*, meridionales vero: *dobrega sukna, zutega sukna*, hic *dobrega* est mista forma, dicunt etiam maxime Serbi *zuta sukna*, haec inflexio est plane substantivalis

quam Grammatici dicunt abbreviatam ex *zutega*.
Nunc videndum utra inflectendi ratio praevaleat; in veteri dialecto promiscuam fuisse in usu patet ex contextu Bibliorum; quod vivas dialectos attinet, septemtrionales substantivalem excludunt, meridionales eandem cum pronominali miscent.

§. 9.

Sed redeamus ad priora, et examinemus vivarum dialectorum inflexionem adjectivorum, num ea substantivalem vel pronominalem inflectendi rationem sequantur, et quidem Russi (teste Grammatico) inflectunt adjectiva ut in veteri dialecto, substantivali scilicet, et pronominali ratione, sic modo substantivali:

Singularis.			Plurali.
m.	*f.*	*n.*	per o. t. g.
N. Dobr,	*Dobra,*	*Dobro.*	*N. Dobri.*
G. Dobra,	*Dobri,*	*Dobra.*	*G. Dobrix.*
D. Dobru,	*Dobri,*	*Dobru.*	*D. Dobrim.*
A. Dober (*a*)	*Dobru,*	*Dobro.*	*A. Dobri.*
In. Dobrim,	*Dobroju,*	*Dobrim.*	*In. Dobrimi.*

Accusativus sing. in masculino exit in *a* tunc, dum de objecto animato est sermo sic: *Ja dvigal veloveka mertva*, non *mertv*, quia animatorum accusativus conformis est genitivo, si vero dicatur: Ja *dvigal velovieka mertvego*, hic adjectivum inflectitur ut pronomen. Gram-

maticus priorem inflectendi normam dicit abbreviatam, quam Clarissimus *Dobrovski* in veteri dialecto indefinitam nominavit. Meridionales Slavi hanc duplicem inflectendi rationem in unam formam contrahunt, sic Carinthius dicit: *videl sem mertvega člověka,* hic ad *mertv* adjecta est terminatio genitivi pronominis *jego*, *o* tamen mutato in *a*, ut cohaereat cum substantivo quoad terminationem.

Pronominalis Russorum inflexio est sequens:

Singularis.

	m.	f.	n.
N.	*Dobrji*,	*Dobroja*,	*Dobroje.*
G.	*Dobrago*,	*Dobroj*,	*Dobrago.*
D.	*Dobromu*,	*Dobroj*,	*Dobromu.*
A.	*Dobrj*, (*a*)	*Dobroju*,	*Dobroje.*
L.	*Dobrom*,	*Dobroj*,	*Dobrom.*
S.	*Dobrim*,	*Dobroju*,	*Dobrim.*

Pluralis.

N.	*Dobrji*,	*Dobrije*,	*Dobrija.*
G.	*Dobrix*,	—	—
D.	*Dobrim.*		
A.	*ut nominat.*		
L.	*ut genit.*		
S.	*Dobrimi.*		

Hic adjectivi inflexio cum pronominis inflexione ad amussim concordat; Grammaticus quidem certus ponit numerum plur. nom. *dobrie*, *dobrija*, *dobrija*, adcommodans se vete-

ris dialecti Grammaticis, et *a* finale accentu onerat; ast si usum Russorum spectemus, patebit *dobriji*, *dobrje*, *dobrija* plurimum obtinere.

§. 10.

In dialecto Polonica adjectiva solum inflexionem pronominalem sequuntur, sic e. g.

Singulari.

N.	*Grubi*,	*Gruba*,	*Grubę.*
G.	*Grubego*,	*Grubej*,	*Grubego.*
D.	*Grubemu*,	*Grubej*,	*Grubemu.*
A.	*Grubi* v. *Grubego*,	*Grubju*,	*Grube.*
L.	*Grubim*,	*Grubej*,	*Grubim.*
In.	*Grubim*,	*Grubju*,	*Grubim.*

Plurali.

N.	*Grubi*,	*Grube*,	*Grube.*
G.	*Grubix.*		
D.	*Grubim*,		
A.	ut nom. vel genit.		
L.	*Grubimi.*		
In.	*Grubix.*		

Cohaeret certe cum pronominis inflexione, et cum aliis dialectis, essetque pro norma, si nom. plur. in neutro non per *e*, sed per *a* efferretur.

Poloni accusat. faemininum scribunt *grubą* quod correspondet *grubju*. Porro Grammaticus meminit, et scripta testantur adjectiva mascu-

lina in nom. sing. per *y* scripta fuisse, quod, quia absolute in sermone correspondet litterae *i*, ideo recentiores scriptores magis Logici ubique scribunt per *i*, in adjectivo tamen *letni*, *letnia*, *letnie* dicit Grammaticus hucdum scribi *letny*; ast firme credo et hanc otiosam scribendi exceptionem brevi cessaturam, vel potius jam cessasse, si quidem nulla causa hujus exceptionis assignari possit, nisi fors ea, quod ita in scriptoribus reperiatur scriptum; ast nisi fundetur in peculiari etiam sono, tunc antiquitatis sumus caeci imitatores, non autem veri, et logici linguae cultores.

§. 11.

Bohemicae dialecti Grammaticus triplicem adjectivi inflexionem distinguit, scilicet praeter substantivalem, et pronominalem jam saepius dictam adhuc tertiam statuit, in qua per omnia tria genera in singulari nom. per *i* terminantur adjectiva, cujus forma est sequens.

Singulari.		Plurali.
mas. neut.	*foem.*	per o. t. g.
N. Bozi,	*Bozi.*	*N. Bozi.*
G. Boziho,	*Bozi.*	*G. Bozix.*
D. Bozimu,	*Bozi.*	*D. Bozim.*
A. Bozi,	*Bozi.*	*A. Bozi.*
L. Bozim,	*Bozi.*	*L. Bozix.*
S. Bozim,	*Bozi.*	*S. Bozimi.*

Haec inflectendi ratio est unicae Bohemicae dialecto propria, estque nihil aliud, quam regularis inflectendi ratio cum ea tamen observatione, quod in nonnullis casibus finalis terminatio inter loquendum a Bohemis absorbeatur, adeoque abbreviata inflectendi ratio dici potest sic *e. g. bozi dar* in masculino non absorbetur, in foeminino vero *bozi vula*, loco *bozia volia, bozi jmeno*, loco *bozio imeno*, et sic in reliquis casibus, conformiter reliquis dialectis Bohemos etiam loqui, experientia est testis, siquidem et Bohemus Grammaticus, regularem inflectendi normam sequentem statuat;

Singulari.

N.	*Pravi*,	*Prava*,	*Prave*,
G.	*Praveho*,	*Prave*,	*Praveho*.
D.	*Pravemu*,	*Prave*,	*Pravemu*,
A.	*Pravi*,	*Pravau*,	*Prave*,
L.	*Pravem*,	*Prave*,	*Pravem*,
S.	*Pravim*,	*Pravau*,	*Provim*,

Plurali

N.	*Pravi*,	*Prave*,	*Prava*,
G.	*Pravih*,	—	—
D.	*Pravim*,	—	—
A.	*Prave* (*ix*)	*Prave*,	*Prava*.
L.	*Pravix*.		
S.	*Pravimi*.		

Haec inflectendi ratio est regularis, prius positae basi innixa et cum reliquis dialectis concordans, quod vero neutrum per *e* effe-

ratur; e genio linguae neutris haec terminatio ita est propria, quemadmodum o, hinc sive dicatur *prave*, vel *pravo*; genio linguae conformiter dictum est.

Accussativus masc. sing. est conformis nom. verum id tantum de rebus inanimatis est intelligendum, de rebus enim animatis conformiter genitivo effertur et quidem in omnibus dialectis.

Porro gen., dat., loc., foemininus per *é* accentuatum exprimitur, quod teste Grammatico ut *ej* pronunciatur; hinc rectius et ita scriberetur, ut pronunciatur, si quidem dicti casus in reliquis dialectis per *j* scribantur; et sic cessaret omnis aliter scribendi et pronunciandi subtilitas, succederetque ei facilitas, hanc comitaretur dialectorum conformitas, itaque non *pravé* in dictis casibus; sed *pravej* scribendum foret.

§. 12.

Grammaticus Pannonius tria paradigmata inflectendorum adjectivorum statuit; hinc; quum et Bohemi tria statuant, opinari liceret ternas formas inflectendorum adjectivorum in genio linguae Slavicae fundari, ast nil minus; nam Bohemus statuit formam substantivalem, pronominalem, et abbreviatam; harum Pannonius nec mentionem facit, verum primum paradigma ejus est sequens.

Singulari.

	m.	f.	n.
N.	*Pekni*,	*Pekna*,	*Pekne*, (*o*)

G: Pekneho,	*Peknej,*	*Pekneho.*
D. Peknemu,	*Peknej,*	*Peknemu.*
A. Pekni (eho)	*Peknu,*	*Pekne (o)*
L. Peknem (om)	*Peknej,*	*Peknem (om)*
S. Poknim,	*Peknej,*	*Peknim.*

Plurali.

N. Pekni,	*Pekne,*	*Pekne.*
G. Peknix,	—	—
D. Peknim,	—	—
A. Pekne (ix)	*Pekne,*	*Pekne,*
L. Peknix,		
S. Peknimi.		

Haec forma a reliquis nil differt dialectis. Ad secundam formam refert illa adjectiva, quae formantur a substantivis masculinis, ut *sinov, a, o, kozlov, a, o, etc*; ad tertiam vero refert illa, quae ex foemininis substantivis formantur, ut *materin, sestrin, tetkin, a, e, o,* verum hujusmodi adjectiva ne hilum quidem differunt a praeexposita forma in inflexione, ergo superfluum est apud Pannonios ternas inflectendorum adjectivorum formas statuere, praemissam enim formam omnia adjectiva apud Pannonios sequuntur, unde et Bohemus idmodi adjectiva uti: *sestrin, bratov, otcov, materin etc* nominat adjectiva possessiva, nec tribuit illi aliam quam regularem prouti apud Pannonios inflectendi rationem. Pannonii prouti et Poloni pronomen tertiae personae in neutro plurali nom. per *e* efferunt, unde et adjectiva hanc termi-

nationem sequuntur, sic *one*, unde et *pekne* *etc.* Auctoritate attamen veteris dialecti, tum Russicae, Bohemicae, ac aliarum meridionalium dialectorum usu permoveor in singulari *o*, in plurali vero *a* esse assumendum, sicque ad amussim praemissa inflectendi forma cum reliquis conveniet dialectis.

§. 13.

His praemissis restat investigare, num substantivalis vel pronominalis inflectendi ratio adoptanda sit? Ea inflectendi ratio est adoptanda, quae et genio linguae conformis est, et in omnibus Slavicis dialectis viget, talis vero est pronnominalis, ea enim apud veteres Slavos fuit communis, et in vivis nunc omnibus dialectis, uti ex inflexione adjectivorum patuit, viget, ex quibus sequens universalis inflectendi ratio eruitur:

Singulari.

	m.	*f.*	*n.*
N.	*Dobri*,	*Dobra*,	*Dobro* (*e*)
G.	*Dobrego*,	*Dobrej*,	*Dobrego.*
D.	*Dobremu*,	*Dobrej*,	*Dobremu.*
A.	*Dobri* vel animatis:		
	Dobrego,	*Dobru*,	*Dobro* (*e*)
L.	*Dobrem*,	*Dobrej*,	*Dobrem* (*om*)
S.	*Dobrim*,	*Dobru*,	*Dobrim*,

Plurali.

	m.	f.	n.
N.	*Dobri*,	*Dobre*,	*Dobra.*
G.	*Dobrix*,	—	—
D.	*Dobrim*,	—	—
A.	*Dobri*, vel animatis:		
	Dobrix,	*Dobre*,	*Dobra.*
L.	*Dobrix*,		
S.	*Dobrimi.*		

Hanc formam pronominalem sequuntur omnia adjectiva absque exceptione; substantivalis enim inflexio videtur per versionem Bibliorum ex graeco textu in Slavicum immigrasse, quam recentiores Correctores Bibliorum exmittunt, et pronominalem tamquam genuinam Slavicam substituunt.

Sectio VI.

De Comparatione.

§. 1.

Objectum sermonis quodpiam comparatur relate ad eandem qualitatem cum uno vel pluribus eidem similibus objectis, et hinc gradus comparationis in Grammaticis exsurrexerunt, quorum quidem Grammatici tres assignant; ast absque fundamento; nam si objectum alteri objecto comparatum, in neutro tamen major emi-

nentia ejusdem qualitatis observatur, tunc Grammaticus gradus comparationis cessat, hinc adjectivum qualitatem alicujus objecti exprimens non recte gradus positivus compellatur; ast si major in alterutro objectorum eadem qualitas observatur, ejusdem qualitatis expressio potest dici gradus comparationis, tanto magis, si cum pluribus objectis conferatur quoad eandem qualitatem, et si qualitas in aliquo objecto prae ceteris eminentior observetur, Grammatici talem gradum communiter superlativum nominant, qui nihil aliud est, quam comparatae qualitatis in uno e pluribus objectis major ejusdem qualitatis existentia, sic e. g. sive dicam: hic juvenis est modestior, quam reliqui ejus condiscipuli, vel hic juvenis suorum condiscipulorum est modestissimus, ex quibus patet stricte unum tantum comparationis gradum dari, scilicet cum uno vel pluribus objectis; jam videamus, quomodonam haec comparationis expressio in variis Slavicis dialectis formetur.

§. 2.

In omnibus Slavicis dialectis hic comparationis gradus duobus modis exprimitur, scilicet adjecta adjectivo *ші* vel *ji* particula, sic in Bibliis legitur: *чistjei*, *чistші*, *чistjejші*, harum postremae expressioni ex prioribus duabus formis conflatae Grammatici jam comparativi longioris, jam superlativi nomen indiderunt. Antiqui

tamen Slavi, si cui objecto qualitatis eminentiam prae caeteris majorem tribuerunt, eandem etiam verbis clare expresserunt, sic: *Previstjei rucie tvoi;* tales vero eminentiam designantes particulae sunt: *pre*, *vse*, *naj*, sic: *Premilostivjejwi Boze! Vsemilostivjejwi*, vel etiam conjungendo particulas sic: *Vsepresvietliejwi;* quae ratio exprimendae qualitatis eminentissimae etiam nunc in omnibus dialectis viget, inflectuntur vero ut adjectiva, quum revera sint adjectiva qualitatem objecti in majori prae ceteris gradu exprimentia.

§. 3.

Russorum comparationis expressio concordat cum veteri dialecto, sic: *tonwi*, *mladwi*, *starwi* a *tonki*, *mladi*, *stari*, vel interjiciendo priori expressioni syllabam *jei* sic: *starejwi*, *tonvejwi*, quam expressionem Grammatici superlativum nominant; interim et Russi superlativum formant praefigendo priori expressioni: *pre*, *vse*, *naj*, sic: *najjadovitejwi*, *naivelivaiwi*, *vsepokorneiwi*.

§. 4.

Poloni aeque ita loquuntur, litteram tamen 8 in *s* mutant e genio dialecti, sic: *grubi*, *grubsi*, *bogati*, *bogatsi*, *prosti*, *prostiejsi* (*prościejszi*) *najbogatsi*, *naiglupsi*, *najmilsi bra-*

tia (*najmilši bracia*) *prenajveliebnejsi.* Bohemi aeque ita formant comparativum, scilicet adjecto *ui*, vel ob concursum consonantium ne euphonia laedatur *ejui*, vel solum *eji* conformiter veteri aliisque dialectis, sic: *hlubui*, *dalui*, *uirui*, *uzui*, *kratui*, *tmavejui*, *libejui*, *vernejui*, *xitrejui*, *visteji*, *pekneji*, *sladceji etc.* posterior loquendi ratio in adverbiis potissimum obtinet, cui praefixo *naj*, (Bohemis *nej*) erit superlativus. Pannonii aeque ita efferunt comparativum, scilicet per *ui*, vel *ejui*, sic *tvrdi*, vel mollientibus Pannoniis *tvardi*, *tverdi*; *tvardui*, *najtvardui*, *krasni*, *krasnejui*, *najkrasnejui etc.* vel *eji*, *perv*, *perveji*, *najperveji*, *dal*, *daleji*, *najdaleji*, aeque potissimum in adverbiis locum habet.

§. 5.

Pannonius, prout et alii dialectici Grammatici regulas formandi comparativi varias statuit, non quidem quoad finales, easque essentiales comparativi syllabas, nam eae in omnibus dialectis scilicet: *ejui*, vel *eji*, subsistunt, sed quoad immutationem consonantium in ipso adjectivo, sic *e. g. drahi*, *dluhi*, *suxi etc.* docet Pannonius isthic mutari *h* in *k*, ast haec immutatio nec fundatur in Etymologia, nec in universali usu, sed in quorundam variante abusu, quem Grammaticus regulae instar figit, et quia abusus nunquam firma potest habere principia, ideo dia-

lecticorum Grammaticae in ejusmodi locis exceptionibus ac subexceptionibus inundantur. Examinemus itaque praemissa adjectiva, an omnino necessaria sit literae *h* in *k* immutatio? Non; nam sive dicam: *drahi, dluhi, suxi,* comparativus erit: *drahuui, dluhuui, suxuui* usu confirmatus, sive dicam: *dragi, dlugi etc.* comparativus erit aeque regularis: *draguui, dluguui,* vel *dragejuui, etc.* non autem ut Grammatici vario usu onusti praecipiunt: *drakuui, dlukuui,* vel plane: *drazuui etc.* talis enim docendi et scribendi ratio Philologiae non convenit, et ingenium discentium obruit, quia in vitioso usu fundatur, regula itaque stare debet, donec omnes dialecti eam cum fundamento non subruant, uti videtur esse in sequentibus: *mal, zl, dobr, velik;* verum Russi dicunt etiam regulariter *malejuui,* ergo cessat exceptio *menuui, velik* Carinthii dicunt *vekuui, velikejuui* prouti et *sladkejuui, uuirokejuui, kratkejuui, tenkeiuui, etc.* qui tamen rursus alia adjectiva ad irregularia referunt, quae in aliis dialectis sunt regularia, sic *e. g. dlug* longus mutant in *dolg,* ex quo formant comparativum *daluui,* vel *dalji,* en quanta confusio, si a fixo principio recedatur; *daluui, daleji* in aliis dialectis significat quid remotioris.

§. 6.

Restant itaque haec duo adjectiva: *zl = zli,*

et *dobr*, = *dober* = *dobri* expendenda, quae in omnibus dialectis sunt irregularia, verum et eorum irregularitas est difformis, inquirendum itaque in causam irregularitatis et difformitatis. Hic animadvertendum est, quod, dum lingua, ipsaque gens adhuc in suis incunabulis exstitisset, saepissime ideae distinctae, in aliquibus tamen notis convenientes, eodem vocabulo expressae fuerint, id patet tum e libris, tum e linguis antiquissimis, ideae vero qualitatis objectorum illae erant frequentissimae, quae creberrime in physicum hominum statum egerunt, uti est idea boni et idea mali, hinc quidquid illis placuit, vocabulo boni, et quidquid displicuit, vocabulo mali indicarunt, sic scimus antiquas, potissimum Slavicas gentes albo colore delectatas fuisse, et hanc ideam vocabulo boni expresserunt, uti et id, quod formosum fuit; e contra, objecta, quae inamoenum sensum in iis excitarunt, uti quid amari, vel quid urentis corpus, vocabulo mali insigniverint tamquam generico; hinc *dober* a *doba*, quod significat momentum temporis, vel formam, unde *osdoba* (decor) aliae gentes sumserunt pro formoso, aliae pro albo, et ideo *dober* = *dobri* aliqui appingunt illi comparativum *lepωi*, alii *bolωi*. Jam vero *lepωi* formatur a *lep*, formosus, a, um, *bolωi* vero a *biel*, *bel*, *bil*, *bol* albus, a, um, unde ex Mythologia Slavorum *Belbog* albus, seu bonus Deus, etc. quare, confusae expressiones eliminandae, dicendumque a *dobri dobriejωi*, a *lepi a*, *o*, *lepωi*, a *biel*, *biol*, *biolωi etc.*, sic

pariter et *zl*, = *zli* malus, et quod amarum est, sensui est malum, et quod urit, est sensui malum, inde *gor* = *gorek* = *gorki*, cujus comparativus est: *goruui*, *gorji*, *gorkejuui*, *gorjei*, et hanc vocem, specificam qualitatem designantem etiam pro generica sumserunt, sic *zli* in comparativo passim *goruui* loco *zlejuui*, resecandae itaque hujusmodi confusae idearum expressiones, secus si dicam: *Ten ųelovjek jest lepuui etc.* Illyrus intelliget esse formosiorem, Polonus vero meliorem, si vero dicam critico-etymologice: *Ten ųelovjek jest dobrejuui*, vel *dobrjei* omnis intelliget verum sensum.

Carinthii formant comparativum ut caeteri per *uui* vel *ji*, sic *hitri*, *hitrejuui*, vel *hitreji*, cui praefixo *naj* (Vindis *nar*) erit superlativus, sic: *najvisokeiuui*, *najuuirokeiuui*. *etc.*

Croatae, Slavonitae, Dalmatae comparativum exprimunt potissimum per *ji*, cui praefixo *naj* formant superlativum, vel particulas *pri* (*pre*) *veųe*, sic: *sveti*, *svetji*, *najsvetji*; *sladki*, *sladji*, *najsladji*; *lepi*, *lepuui*, *najlepuui*, vel *prelepi*, sic *prilipia* (*prelepia*) *zena umerla jest*.

§. 7.

Slavi etiam adjectiva diminutive per teneritudinem exprimunt, sic *mali*, *malinki*, *maleuuenki*, *malulinki etc.* *dobri*, *dobruuuki*, *tenki*, *tenuuuki*, *mili*, *milunki*, *miluuuki*, *mladi mladuuuki*, vel *mladunki*, = *molodi molodenki*, *moloduuuki etc.* sic canit Russus:

Maleшenki solovejko (*a*)
Чom ti ne шчebeчeш?
Uz rad by ja шчebetati
da (*b*) golosu ne maju.
Molodenkij kozaчenko!
Чom ti ne zeniш sia?
Uz rad by ja zeniti sia
da dolu (*c*) ne maju.
Poterial ja svoju doliu
Xodiuчi v dorogu (*d*) etc.

(*a*) salavik philomela (*b*) da sed, quía (*c*) patrimonium, fortunas (*d*) exterae, peregrinae orae.

Sectio VII.

De verbis, eorumque inflexione.

§. 1.

Nullum ens in natura existit sine ratione, adeoque sine sua functione mediata, vel immediata; functio vero peragitur in tempore, tempus itaque est et tunc dum alicujus entis functio peragitur, vel specialis aliqua functio jam peracta, vel peragenda indicatur, hinc abit tempus Grammaticorum in praesens, elapsum, et futurum, ampliorem enim temporis partitionem Grammaticalem genium linguae Slavicae respuit.

§. 2.

Antequam tamen inflexionem verborum adgrediamur, interest vim, et genium verbo-

rum in lingua Slavica eruderare, siquidem genium hujus linguae differat ab omnibus Europaeis linguis, et ideo, quia nonnulli Grammatici Slavici cynosuram aliarum linguarum in concinnandis suis Grammaticis sunt secuti, inexplicabilibus semet involverunt difficultatibus. Verba in lingua Slavica ratione significationis sunt: 1mo *Verba primigenia.* 2do *Verba e primigeniis ope praepositionis composita.* 3io *Verba frequentativa.* 4to *Verba frequentativo-frequentativa.* 5to *Verba factitiva.* 6to *Verba momentanea primigenia.* 7mo *Verba Momentanea derivata.* Primigenia sunt illa, quae functionem entis simplicem denotant absque omni modificatione ut: *orati, tkati, spati, sjeti, znati, mereti, duti, gniti, ziti, piti, kriti, zati, vati etc.* ex his fiunt 2 composita ut: *viorati, pritkati, nasjeti, prespati, uznati, umereti, naduti, sgniti, preziti, odpiti, odkriti, zezati, navati etc.* 3. Verba frequentativa formantur a primigeniis interjecta syllaba *va* ut: *oravati, tkavati, spavati, znavati*; *mereti* seu *mreti* frequentativum non patitur, quia mors est una, *duvati, gnivati, zivati = ziviti, pijavati, krivati, zavati, vavati,* inde *navavati etc.* 4. Frequentativo — frequentativa fiunt duplicata syllaba *va* ut: *oravavati, tkavavati, spavavati etc.* Factitiva fiunt cum praepositione *po*, interjecta syllaba *ju*, ut: *poorujem = pooruju, popijuju* quia vero horum verborum expresios solum ad praesentem functionem restringitur, ideo iis in

perfecto et futuro frequentativa substituuntur. 6 Verba momentanea designant entis functionem adeo momentaneam, ut praesentis expressione nec opus habeant, quia functio eorum citius peragitur, quam ut verbis exprimi possit, sic *e. g. streliti*, exigua pressione fit, *dati*, *kupiti* pendet a nutu voluntatis, haec itaque verba sunt momentanea, et quidem primigenia, 7 sunt verba momentanea derivata, quae fiunt a primigeniis littera *n* interjecta sic e. g. *padati, mikati, dvigati, sekati, duxati, pukati etc.* sunt verba primigenia, his interjecta littera *n* fiunt momentanea ut: *padnuti, miknuti, dvignuti seknuti, duxnuti, puknuti etc.* Probe itaque discernendum est *streliti* a *strielati* = *strielavati*, *dati* a *davati*, *kupiti* a *kupivati*, item *dixati* a *dixnuti etc.*, quia has significationes etiam usus in genio linguae fundatus accurate distinguit, secus genium linguae violabitur, nec principia linguae firma, facillimaque proferentur; hinc factum, ut qui Grammatici haec verba non discriminaverunt, opera eorum summis difficultatibus sint irretita.

§. 3.

Modi, quibus functio entium designatur, solent esse potissimum hi, scilicet: vel indicatur quid, vel mandatur, vel optatur, hinc modi Grammaticorum orti: indicativus, imperativus, optativus. Infinitivus vero cessat esse modus,

quia nullo quidpiam modo definit, sed est ipsum tantum vocabulum, quod relate ad modum, tempus, personam, et numerum sinit se modificari, sic si dicam: laborare est utile, seu labor est utilis; hic laborare est vocabulum, quod adhibetur ad entis alicujus functionem, per variam ejus modificationem designandam; sic *dielati*, *pisati*, *moliti etc.* inde *dielanje*, *pisanie*, *molienie*, seu *modlienie etc.* sunt substantiva praesentem functionem designantia, *delanost* vero, *psanost* etc. sunt substantiva elapsam functionem designantia. Oriuntur et adjectiva quadruplicia scilicet 1 praesentis functionis activae ut: *pisajuci*, *delajuci*, *a*, *o*, *etc.* in aliquibus dialectis hic *c* mutatur in Ч. ut *pisajuчi*, *delajuчi etc.* sic Rusus canit:

Oj! zaчuje stara mati
Sidiuчa u xati = xalupa = xatia.

2do sunt adjectiva praeteritae functionis activae, terminantur in *vsi*, *a*, *o*, verum faeminina, et neutra terminatio passim negligitur, et pro omni genere solum masculina adhibetur, sic in Cantilena Russae, amasium abeuntem deplorantis:

Svisnuv kozak na konia
Budi zdrova moloda etc.
Vyiшla ruчki zalomavшi
A tiazenko zaplakavшi etc.
Bielix ruчok ne lomaj
Чernix oчok ne uteraj
Budi zdrova, bo ja idu
Uze za Dunaj. etc.

hic *zalomavwi*, *zaplakavwi*, *zaplakavwa*, *zaplakavwo* est adjectivum formatum a perfecto *zaplakav etc.* 3. est adjectivum praesentis passivi ut *znami*, *a*, *o*, *védomi a*, *o*, de quo inferius fusius agetur. 4. Adjectivum praeteriti passivi, uti: *viden*, *učen*, *nosen*, *a*, *o*, *delan etc.* haec adjectiva Grammatici insigniunt variis nominibus; jam enim vocant participia, jam transgressiva, jam gerundia etc. Participia vocant fors, quod partem capiant a verbis per variam temporis expressionem, a substantivis vero capiunt casus. Interim expressiones participii, supini, gerundii etc. quae nullam significationis realis speciem praeseferunt, sunt obliterandae, sic gerundium nil aliud est quam adverbium, de quo inferius.

§. 4.

Quidam Grammaticus Russis octuplicem temporis partitionem obtrudere voluit, scilicet: praesens, perfectum indefinitum, perfectum simplex, praeteritum perfectum, plusquamperfectum, futurum indefinitum, futurum simplex, futurum perfectum; verum hoc contradictorium commentum omnes Slavicae nationes communi consensu reprobarunt, quia observarunt plura verba pro unius significatu sumpta fuisse, sic verba *dvigati*, *dvigavati*, *sdvigati*, *dvignuti*, pro uno sunt significatu sumta; certe is vel non fuit natus Russus, vel si fuit, linguae suae maternae genium ignoravit.

Caeterum mirum id videri haud debet, experimur enim artem linguas explicandi nullos fere progressus facere; Grammatici enim quo plures inanes coacervant regulas, eo magis se officio functos arbitrantur, sic et Slavi latinos caece imitantur in ipsa terminorum violenta fabricatione, scilicet nominum varias flexiones latini vocant casus, *padez* Slavi, Nom. Genit. Dat. Accus. Voc. Ablat. *Imenitelni*, *Roditelni*, *Datelni*, *Vinitelni*, *Zvatelni etc.* quae expressiones tantum abest, ut ideam rei exhauriant, ut potius ridiculi quid producant, si enim dicam: hi boves sunt patris mei, *Ti voli so mojego otca*, hic *otca* est *Roditel* boum, vel Ego amo Deum. *Ja milujem* vel *liubim Boga*, hic *Boga* est *Vinitel*, — Certe sequentes expressiones ideam rei magis exhaurirent: Terminationes inflexionum: subjectiva, possessiva, receptiva, objectiva, appellativa, etc.

§. 5.

Clarissimus *Dobrovski*, celeberrimus ille veteris Dialecti scrutator 6 formas inflectendorum verborum statuit, quas anteriores Grammatici duabus formis proposuerunt, pluribus tamen paradigmatibus illustrarunt, quum tamen statutis sex formis non omnes in Bibliis repertas ablusiones exhauriri posse observaret, eas jam Polonismos, jam Russismos, jam Serbismos pronunciavit, jam librariorum incuriam

culpavit, eo tamen non obstante occurrerunt ei difficultates, quas nullis horum attribuit, verum cur ita scriptum reperiatur, se plane assequi non posse ultro fatetur Par. II. pag. 562

§. 6.

Veteris Dialecti plures Grammatici duas. statuunt formas verborum. Russicae dialecto tres appinxerunt. Poloni solum unam agnoscunt, Bohemi ad 6 formas aliqui partiuntur verba; Pannonius eos imitatur; Meridionales Grammatici, uti Serbi, Slavonitae, Croatae, Dalmatae, Vindi verba tribus potissimum formis illustrant, stricte tamen unam duntaxat formam omnia verba sequuntur. Jam quid consilii in tanta diversitate opinionum Grammaticalium? Pannonius, uti dictum fuit, 6 statuit formas, interest itaque expendere fundamentum, cui illae 6 formae superstructae sint; quare operae pretium erit cujusque formae verborum terminationes primitivas exponere, ex quibus aliae deducuntur, ut appareat, num statutae 6 formae ad unam reduci non possint, sunt itaque sequentes.

	Infinit.	Praesens Ind.	Imp.	Perfec.	Perf.
1	*volati,*	*volam,*	*volaj,*	*volal,*	*volav,*
			Par. praes.	Par. prae. pas.	
			volajuc,	*volan.*	
2	*lamati,*	*lamem,*	*lam,*	*lamal,*	*lamav,*
			lamajuc,	*laman.*	
3.	*sliwati,*	*sliwim,*	*sliw,*	*sliwal,*	*sliwav,*
			sliwic,	*sliwan.*	

4. *sati*, *sejem*, *sej*, *sal*, *sav*,
sejic, *sat*.
5 *piti*, *pijem*, *pi*, *pil*, *piv*,
pijic, *pit*.
6 *milovati*, *milujem*, *milui*, *miloval*, *milovav*,
milujic, *milovan*.

Grammaticus *anxie* ac prolixis determinat regulis, quaenam verba ad quam spectent formam, *e*. *g*. ad secundam formam spectant illa verba, quae exeunt in *at* (*ati*) si praecedant sequentes syllabae: *ak*, *am*, *luh*, *uh*, *ip*, *ok*, vel litterae *l*, *r*, *s*, *t*, *z*, verum vocales *e*, *i*, non praecedant. 2 quae desinunt in *nut* (*nuti*) in Infinitivo. 3 quae exeunt in *et* *st*, *zt* (*cti*, *zti*,) aeque in Infinitivo. Hae anxiae verborum determinationes tantum abest ut discentes illustrarent, ut potius eos magis confundant, nam alter ejusdem dialecti Grammaticus alias statuet regulas etc. Interim haec non eo fine dicuntur, acsi Pannonicae Grammaticae concinnator recenseretur, cui immortales habendae sunt gratiae tamquam viro de Pannonica dialecto meritissimo, verum ideo haec proferuntur, ut appareat, quantopere dialecticae Grammaticae claudicent, quia firmis destituuntur linguae slavicae in genere sumtae principiis; nam in lingua Slavica non plures, quam unam inflectendorum verborum dari formam patet e vivis dialectis, Poloni enim, et meridionales Slavi nonnissi unam stricte agnoscunt formam, ad quam et 6 Pannonicae formae e genio linguae, et usu reducuntur.

§. 7.

Secunda forma differt a prima in praesente, et Imper., in prima enim est *volam*, *volaj*, in secunda vero *lamem*, *lam*; ast in ipsa Pannonia est in usu etiam *lamam*, *lamaj*, ergo secunda absolute non differt a prima, hinc superflua secunda forma; enim vero, etsi *lamam* a *lamati* non esset in usu, tamen secunda forma esset superflua, nam terminationes verborum sunt eaedem finales, ideo eandem nanciscuntur inflectendi formam.

Tertia forma est *sliwati*, ast dicitur etiam *a* mutato in *e*, vel *i*, ut *sliwiti*, *sliweti*, hinc si a *sliwati* derivo, dicendum in praesente *sliwam*, more meridionalium Slavorum, si a *sliwiti*, *sliwim etc.* Grammaticus vero infinitivum ut thema exponit *sliwati*, praesens vero *sliwim*; habet quidem rectum qua Grammaticus Dialecticus, non tamen ut Grammaticus Slavicus Criticus. Imperativus exponitur *sliw*, loco *sliwaj* meridionalium, vel *sliwej* Bohemorum; Imperativi enim omnium verborum, characteristica est *i*, id patet ex veteri, tum vivis dialectis; imperativus enim aliquorum verborum absque *i* est tantum abbreviata loquendi ratio, et sic tertia forma aeque a prioribus nil differt.

Quarta forma est *sati*, ast Slavice dicitur etiam *seti*, vel *sejeti*, vel *sjeti*, vel *sjejeti*, hinc a *sejeti* dicendum *sejem*, *sej*, *sel*, *se*-

jev, (*sev*), *sejen*, *etc.* quam regularitatem usus aliarum dialectorum probat.

Quinta forma est *piti*, hinc *piem*, vel interjecto j, nam antiqui litteram *e* pronunciarunt ut *je*, ideo scribi potest etiam: *pijem, pij, pil, piv, pijan etc.* aeque nil differt a prioribus.

Sexta Forma est *milovati*, *milujem*, *miluj*, *miloval etc.* Haec forma dialectica confusa est e duobus verbis: *miluti*, verbo scilicet primigenio meridionalibus Slavis usitato, et ejus frequentativo *miluvati*, quare *miluti* vel *militi*, more Vindorum significat amare, misereri, unde et apud Pannonios: *Boze! smiluj sia nad nami*, hinc *miluti*, *milujem*, *miluvati* vero *miluvam* in praesenti dicendum; hinc *mila matka*, *premileni sin*, aliud est quam *milovana matka etc.* ex quibus patet, *miluti*, et *miluvati* esse verba diversa, et ideo etiam diversae significationis, usus tamen in Pannonia ea confudit.

§. 8.

Grammaticus adjectiva verbalia, actionem praesentem designantia, seu participia praesentia aliquorum verborum exponit per *ic*, ut: *sejic*, *pijic*, *milujic*, aliorum vero per *uc*, ut: *volajuc*, *lamajuc*; ast hanc distinctionem quotidianus usus in Pannonia tollit, scilicet exposita per *ic* efferuntur etiam per *uc*, ut: *sejuc*, *pijuc*, *milujuc*, et vice versa, imo et per *ac*,

ut: *sejac*, *pijac etc.* Vocales enim in ore Slavico mutantur, hinc illae sunt adsciscendae, quae majori svavitate se commendant, non vero, quas Grammatici anxie determinare incoeperunt; hinc 6 formae Pannoniorum e genio linguae Slavicae in aliis vivis dialectis perspicuae ad unam formam reducuntur, nempe:

1. *Volati*, *volam*, *volaj*, *volal*, *volav*, *volajuc*, *volan.*
2. *Lamati*, *lamam*, *lamaj*, *lamal*, *lamav*, *lamajuc*, *laman.*
3. *Sliwati*, *sliwam*, *sliwaj*, *sliwal*, *sliwav*, *sliwajuc*, *sliwan.*
4. *Sejeti*, *sejem*, *sej*, *sejel*, *sejev*, *sejuc*, *sejen.*
5. *Piti*, *pijem*, *pij*, *pil*, *piv*, *pijuc*, *pijan.*
6. *Miluti*, *milujem*, *miluj*, *milul*, *miluv*, *milijuc*, *milun*, vel *milen.*

En sex formas ad unam redactas; verum dicet quis hanc reductionem esse violentam; nam Pannonius non dicit *pijan*, *milun*, *milen etc.* Úsus autem est primus Grammaticus etc. Ast lingua Slavica isthic in genere est sumta, jam vero meridionales nunquam aliter dicunt, quam *pijani velovek*, dein apud ipsos Pannonios est in usu *milenka*, *milunka*, quod est diminutivum ex *milena*, isthoc vero formatur ex *milen*, *milena*, *mileno*, *etc.* hic enim non unius dialecti usus est pro basi sumtus; nam singularis dialectus logicam sui culturam stricte sumtam non patitur, quia deberet inniti unice illius dia-

lecti usui, usus vero teste Horatio in lingua est maximus tyrannus, regulas enim semper novas exceptionibus gravatas inducit, quadrata miscet rotundis, quod fieri nequit in lingua Slavica, si ea in genere sumatur, geniusque ejus pervestigetur, dialecti variae combinentur, sic e. g. Pannonius *pisati*, in imperativo dicit *piu*, scilicet irregulariter, aliae vero dialecti regulariter *pisaj*, Pannonius *miluti* cum *miluvati* et plane cum *miluvavati* confundit; nam plane in scholasticis libris est amabam = *miluvaval milovaval* etc. primigenium scilicet verbum cum frequentativi frequentativo confusum.

§. 9.

Plurimi Grammaticorum infinitivum tamquam thema reliquarum expressionum jure statuerunt, nam indefinita verbi expressio est vocabulum, quod modificari se sinit relate ad tempus, personam, numerum etc. quapropter aliae verbi expressiones ut thema considerari non possunt, quum jam modificationem receperint. Thema itaque verbi est indefinita verbi expressio exiens in *ti*, uti: *veriti*, *uviti*, *kupiti*, *uiti*, abjecto *ti* est imperativus: *veri*, *kupi*, *ui*; et hinc facillime ab infinitivo principales verborum expressiones formantur. uti praesens, perfectum, futurum; tum adjectiva, et substantiva verbalia. Principales verborum expressiones in omnibus dia-

lectis sequenti modo terminantur, et quidem: praesens in *u*, vel *m*; tempus elapsum in *x*, *l*, *v*, imperativus semper in *i*, quae littera potest scribi etiam per *j*, nam sive scribam *stupai*, vel *stupaj*, est par ratio. Praesentis prima persona exprimitur per *u*, vel *m*, et quidem vetus dialectus, et Russica praesens exprimit per *u*, ut: *piu*, *uiu*; aliae vero dialecti ut Pannonica, Polonica cum meridionalibus per *m* ut *piem*, *uiem*; Poloni quidem litteram *m* post *e* exmittunt, et *ę* cedillo notant: *pię*, *uię*, exceptis: *viem*, *jem*, et quae per *am* efferuntur, ut *biegam*, *poviedam*, *scekam* *etc.* Bohemi aliqua verba per *u*, alia per *m*, nonnulla plane per *i* efferunt. sic: *ja piji*, ego bibo etc. habent nempe suas regulas exceptionibus gravatas, quae unice in variante dialecti usu fundantur; hinc consultissimum foret omnia verba per *u*, vel per *m* effere, vel utramque loquendi et scribendi rationem pro lubitu adoptare, quia utraque fundatur in genio linguae, *u* enim fundatur in veteri, et Russica dialecto, *m* vero in omnibus; nam et Russi aliqua efferunt per *m* ut: *jam*, *snjem*, *vjem*, *dam*, *imam* *etc.*

§. 10.

Perfecti expressio jam in veteri dialecto legitur triplex ut patet e Bibliorum monumentis scilicet in *x*, *l*, *v*, sic *tvorix*, *ųitax*, *uųix*, vel *tvoriv*, *ųitav*, *uųiv*, vel *tvoril*, *ųital*, *uųil*.

Jam si vivas dialectos consideremus, perfectum per *x* fere evanuit, sunt tamen illius vestigia in meridionalibus dialectis, sic Slavonita dicit: *sluwah*, *učih*, *etc*; apud Pannonios ejus vestigia sunt in *byx* tamquam auxiliari optativa expressione. Caeterum in omnibus vivis dialectis perfectum per *l* terminatur, sic Russus: *brati*, *zvati*, *žati* in perfecto dicit: *bral*, *zval*, *žal*, *etc.* hanc loquendi rationem tamquam in genio linguae fundatam omnes dialecti sequuntur ut adeo elapsi temporis characteristica *l* littera possit tuto pro universali statui, quam tamen Illyri in masculino cum *o* confundunt, sic loco *pekal*, *pekao etc.* verum haec substitutio orta esse videtur ex affinitate soni *pekav* et *pekao*, *pisav* et *pisao*, vel inde patet, quia in reliquis generibus littera *l* ut characteristica perfecti reducitur, sic *snovao*, *snovala*, *snovalo*, quae scribendi ratio magnam partialitatem redolet; hinc recentiores, et cultiores Illyri imitari deberent salutare eruditissimi Kopitar exemplum, qui licet perfectum Vindi per *v* in masculino efferant, tamen libros per *l* scribendos esse censuit, ne per hanc specialem scribendi rationem a reliquis connationalibus discindantur, sic loco *dav*, *spav*, *dal*, *spal*, licet et *dav*, *spav* in genio linguae Slavicae fundetur, quum omnibus Slavicis nationibus sit in usu, sic Russus potissimum, dum duo perfecta concurrunt: *Pristupiv skazal etc.* loco *pristupil*, *i skazal.* Polonus: *Biegal po liesu vpav v jamu*, loco: *biegal po liesu* i *vpal*

(*vpadel*) *v jamu*, sic etiam in Bibliis legitur: *zriv*, *voliv etc.* loco *zril*, *volil etc.* vocaturque a Grammaticis praeteritum gerundium, nihilque aliud denotat, quam subjectum, quod functionem quampiam peregit, itaque vel est verbum, si retinet vim verbi, e. g. si dicam: *Aleksander sebrav vojsko iшel na Turka;* vel si tractetur ut adjectivum denotans subjectum aliquod, quod functionem peregerat, sic Polonus: *Krystus Pan wźiąwszj chleb lamal*, seu *Kristus Pan vziavsi xleb lamal;* hic *vziavsi* est formale adjectivum a verbo *vziati* derivatum; quare recte dicitur: *Kristus pan vziav xlieb lamal* vel concordando in genere ut formale adjectivum: *Kristus pan vziavsi xlieb lamal.*

§. 11.

Caeterum communis, et consveta apud omnes Slavos perfecti terminatio est littera *l*, cum vel sine auxiliari verbo *jesem*, *jsem*, vel *sem*, *som* per abbreviationem; talis loquendi ratio viguit et in veteri dialecto, id ipsum Bibliorum textus docent, legitur enim: *чital*, *tvoril*, vel *чital jesm*, *tvoril jesm.* Clarissimus quidem *Dobrovsky* textus Bibliorum perfecti sine *jesm* Russis adscribit, ast et ita perfecta reperiri originaria ipsemet ulterius agnoscit, sic ad Corinthios 2. 5: *Aшчeli kto oskorbil mene, ne mene oskorbi etc.* profecto perfecti terminatione in *l* tuto uti possumus, quaemadmo-

dum id omnes dialecti confirmant.

Dialectici faciunt mentionem et abbreviati perfecti, sic Russus: *strig*, *liez*, loco *strigel*, *liezel etc.* ita Bohemus: *spad, utek*, *pribeh*, *virost*, *zamk etc.* loco *spadel, utekel, pribehel, virostel*, *zamkel etc.* verum hujusce modi absorbendi consvetudo non est tanti, ut regulam sibi vindicare possit, nam ipsissimae dialecti homines non omnes absorbent, sed planum loquendi modum sequuntur, quod vero Grammatici similes loquendi, vel potius absorbendi modos collegerint, sane fecerunt, nam sapienti opinione Clarissimi Kopitar dialectici Grammatici sunt referentes dialectorum suarum, ex quorum diligenti relatione tandem aliquando in communi Philologorum Slavorum consilio salutare, ac originali nostrae linguae conforme ferendum esset judicium.

§. 12.

Modus imperativus in veteri, tum Russica, ac omnibus meridionalibus dialectis semper terminatur per *i*, et certe svavius sonat: *lamaj*, *pisaj*, *sliwaj*, quam Pannonicum *lam*, *piu*, *sliu etc*; formatur vero a themate absecto *ti*, et si non est vocalis *i*, est addenda, si vero adest, tunc parata est imperativi expressio, sic: *paliti*, *moliti*, *rastiti*, *zvoniti*, *stupati*, *duti*, *pasti*, *vuti etc.* erit *pali*, *moli*, *rasti*, *zvoni*, *stupai*, *dui*, *pasi*, *vui etc.* Pannonius quidem

dicit in imperativo: *pal*, *zvon*, ita tamen, ut *l*, et *n* molliat, quae litterae non nisi ante vocales *i*, *e*, molliri solent, hinc adparet, vocalem hanc *i* in imperativo apud Pannonios solum celeri loquendi consvetudine absorptam esse.

§. 13.

Adjectiva, uti dictum est, e verbis quadruplicia oriuntur, quae Grammatici participia vocant, ut participium praesentis, et praeteriti activi, tum participium praesentis et praeteriti passivi, tandem ita dictum gerundium, quod Pannonius Grammaticus confudit cum participio praesenti, alii vero Grammatici haec participia variis nominibus insigniverunt, causa hujus est, quia aliarum linguarum cynosuram sunt secuti, hacque ratione magnam confusionem pepererunt, lubet exemplum Russici adferre Grammatici quomodonam ille Participiorum sensum textu Germanico explicet; scilicet *vodil, a, o*, geführt *vodim a, o* geführt, *voden, a, o*, aeque geführt, quod primum attinet, participium dici nequit, nam est formale perfectum imprimis apud Russos, *ja vodil*, ego duxi, *ti vodil, on vodil*, in foeminino *ja vodila, etc. Vodim, a, o* est participium praesentis passivi, significatque ego qui ducor; haec loquendi ratio ex aliis dialectis disparuit, apud Russos in sublimiori stylo obtinet; est tamen haec expressio originalis Slavica, patet id ex monumentis veteris diale-

cti, sic *nesom, a, o* = ego qui feror *etc.* quare in aliis dialectis aeque adoptanda, et tamquam thesaurus linguae maximus aestimanda; porro *voden, a, o,* respondet Germanico geführt, non vero priores expressiones.

Grammatici gerundium confundunt cum participio praesenti, aliqui tamen distinguunt, sic Polonus: gerundium *xvaląc*, et participium praesentis *xvalaci, a, o,* hunc sequuntur et meridionales, sic R. *Lanauoviч* Slavonitarum Grammaticus exponit gerundium *sluuajuчi* per zu hören, dicitque esse immutabile, et in eo differe a *sluuajuчi, a, o* participio praesenti, Polonus porro *xvaląc* gerundium non explicat per zu loben, sed indem man lobt, hinc quanta differentia sensus inter zu hören et indem man hört.

§. 14.

Pannonius Grammaticus confundit gerundium cum participio praesenti, nam gerundio tribuit etiam pluralem; caeterum gerundium nil aliud est, quam formale adverbium modi, et quemadmodum adverbia flexionis sunt incapacia, ita et hocce adverbium verbale sic; Grammaticus dicit: *volajic* gerundium, in plurali vero *volajice*; verum hoc subsistere nequit salvo sensu adverbii; nam diversus est sensus adverbii verbalis a sensu participii praesentis, sic si dicam: *sirota plaчuc po liesu bludila*, hic *plaчuc* est adverbium; *sirota plaчuca po liesu*

bludila, hic est participium praesens, distinctio expressionum hic est clarissima; nam prima exponit modum, quo oberraverit orphana proles in sylva, scilicet, flendo, altera vero exprimitur qualitas orphanae prolis, scilicet flens proles. Jam expressio modi, cum sit adverbium, in omni genere, numero, casu manet immutabilis, sic *siroti plačuc v liesu bludili*, secundum Grammaticum Pannonium dicendum foret: *siroti plačuce v liesu bludili*, jam cessat esse gerundium, seu adverbium, sed est adjectivum, quia describitur qualitas flentium prolium *etc*. Distinguendum itaque est adverbium verbale a participio praesenti, seu adjectivo *etc.* quia et celebriores Grammatici haec distinguunt: sic

Russus *veduč* adverbium, *vedusčii*, *aja*, *e*. *Adje.*

Polonus	*xvaląc*,	*vedąc*	adv. *xvaląci*, *a*, *o* *vedąci*, *a*, *o* —
Bohemus	*zenuc*,	*veduc*	— *zenuci*, *a*, *o* *veduci* *a*, *o* —
Pannonius	*milujuc*	*veduc*	— *milujuci*, *a*, *o* *viducí* *a*, *o* —
Vindus	*igrajoc*	*vedoc*	— *igrájoc*, *a*, *o* *vedoc*, *a*, *o* —
Illyrus	*sluwajuči*,	*veduči*	— *sluwajuči*, *a*, *o* *veduči* *a*, *o*. —

§. 15.

Vidimus de perfecto, si nempe duo perfe-

cta concurrant, anterius solet etiam per *v* exprimi, sic e. g. Russus: *Vladimir sobrav vojsko poiuel v Xerson*, loco *Vladimir sobral voisko, i poiuel v Xerson.* Etiam futuro tempori solet praefigi, dum scilicet aliqua futura functio indicatur post aliam nempe functionem jam perfectam, sic Russus: *Napisav pismo pogovoruju*, id est postquam descripsero loquar. Latini Gram. hoc perfectum vocant futurum conjunctivi, alii futurum exactum, est tamen vera perfectae functionis designatio. Expressio praemissa si tractetur ut adjectivum, designat qualitatem entis, quod functionem aliquam peregit, sic. *Brata svojego oplàkavuuu dievicu sem videl*, idest; Vidi virginem, quae fratrem sum deploravit, hic *oplakavuuu* est formale adjectivum, scilicet: *oplakavuui, a, o,*

§. 16.

Habent Slavi etiam participium praesens passivi, seu adjectivum designans ens quodpiam, quod sub functione entis alterius constituitur, tale adjectivum veteri dialecto, et Russis in sublimiori stylo est notum, characteristica vero ejus est littera *m*, sic

pisati	erit	*pisam*,	*a*, *o*, v.	*pisami*,	*a o.*
nositi	—	*nosam*,	*a*, *o*,	*nosami*,	*a*, *o.*
voditi	—	*vodim*,	*a*, *o*,	*vodimi*,	*a*, *o.*
znati	—	*znam*,	*a*, *o*,	*znami*,	*a*, *o.*
vjedeti	—	*vjedom*,	*a*, *o*,	*vjedomi*,	*a*, *o.*

vel ante *m* praeposito *e*, ut *pisaem*, *nosaem*, *vidiem etc.*

§. 17.

Participium vero praeteriti passivi, seu adjectivum quod designat ens sub functione entis alterius jam constitutum fuisse, terminaturque per *n*, sic *sliuuan*, *pisan*, *nosen*, *voden*, *znan*, *viden*, *a*, *o etc.* Hoc participium esse formale adjectivum patet inde, quia comparationis expressionem etiam recipit, sic *uuen*, *uueneiuui*, vel *uueneji etc.* Nunc jam oritur quaestio, utrum et reliqua participia ut formalia adjectiva comparationis expressionem aeque recipere possint? nec ne? Tantum abest ut genio hujus linguae vim inferam; ut potius ejusdem linguae originale genium uberius evolvere coner. Causam non video, cur et reliqua verbalia adjectiva comparationis expressionem respuerent, dummodo ipsa res patiatur comparationem, sic in Pannonia est in usu; *znamuui*, v. *znamejuui yelovek*, seu homo, qui magis noscitur; *vedomejuue hrjexi*, seu *vedomejuui griexi etc.* ex quibus patet participium praesentis passivi ex ipso etiam usu pati comparationis expressionem. Nunc quid de activis adjectivis? Hac de re doctiorum exspectanda est sententia, vili quidem opinione mea, nec iis abnegarem comparativi expressionem, si natura rei ipsis non abneget, sic; *verici*, *vericejuui*, vel *vericeji*, *milujici*, *mi*-

lujicejwi etc; quod vero adjectivum perfecti attinet, idem sentiendum, ipse usus manifeste indicat, sic *verivwi, verivejwi čelovek*, homo, qui magis credidit; sic in Pannonia: *živwi, byvwi čelovek*, homo qui prius vixit, vel fuit, est in usu, hic qui prius vixit est manifesta comparatio *etc.* sic *uctivejwi, lenivejwi, horlivejwi človek* sunt comparativi, ex *uctiv, leniv, horliv etc.*

§. 18.

Adjectivi praeteriti passivi legitur terminatio etiam per *t* litteram, ergo *n* littera ejusdem characteristica universalis esse nequit; sic in veteri dialecto legitur: *jat, načat, žat, prokliat*, sic *pojati vojak, zežate žito, načato vino, pokliato mesto etc.* Verum haec omnia in aliis dialectis adhuc svavius per *n* exprimuntur, uti: *pojani, bijani, pijani vojak, zežano žito, načano vino, pokliano mesto*, dialecti enim variant, jam hanc, jam aliam terminationem adoptarunt, aliquae dialecti utrique adsveverunt, sic: *vikluvato kurja*, vel *vikluvano kurja, zemleno žito, podpreti, vel podpreni dom, zežrata*, vel *zežrana ovca, zapnuta, zapnuna žata etc.* hic certe superfluum foret exceptiones formare anxias, quae nam per *t*, quae vero per *n* finiantur; nam in una dialecto legimus aliquod verbum per *t*, sed illud ipsum in alia dialecto cum quadam svavitate per *n* sic:

umreti чelovek, alibi *umreni чelovek*, *naduti miex*, svavius alibi *naduni miex. etc.*

§. 19.

Videamus nunc integram inflectendorum verborum formam per modos, tempora, personas, et numeros. Modi sunt terni: indicativus, imperativus, optativus; infinitivus vero est thema reliquorum modorum.

Indicativus.

Indicativo modo triplex temporis ratio exprimitur, scilicet: praesens, elapsa, et futura; ampliorem enim partitionem temporis genius linguae Slavicae respuit; vetus Ecclesiastica praesens sequenti forma exprimit:
Sin. 1. *nesu.* 2. *neseшi.* 3. *neset.* Plur. 1. *nesem.* 2. *nesete.* 3. *nesut.* Russ. *nesu*, *neseш*, *neset nesem*, *nesete*, *nesut.* Dualis numerus non exponitur, quia eo nulla viva dialectus praeter Vindicam utitur.
Bohemus: *nesu*, *neseш*, *nese*, P. *neseme*, *nesete*, *nesau.*

Quantum discriminis sit inter has tres dialectos ex collatione inflexionis patet. Russus primam personam pluralis per *m* effert ad imitationem Ecclessiasticae, ast in veterrima adhuc dialecto dicta persona per *i* etiam efferebatur, cujus rei manifesta sunt adhuc in Bibliis vestigia, sic *budemi*, *poживemi*, legitur in iisdem

Bibliis, et ideo terminatio *m* pluralis 1ae personae non est universalis etiam apud ipsos Russos, nam effertur etiam per *i*, vel per *o*, uti: *nesemi*, vel *nesemo*. Polonus *niesię*, *niesies*, *niesie*, *niesiemi*, *niesiete* (*niesiećie*) *niesią*. Polonica dialectus spectat ad illas, quae primam personam singularis per *m* efferunt, quam litteram ante *e* elidunt in scriptione, et illud *e* cedillo notant Gallico, et si *a* praecedat, tunc *m* litteram retinent, sic: *xvalam*, *sekam etc*; de reliquo convenit cum Pannonica, nisi quod dialectus Polonica sit mollior, ideo vocales consonantibus interjicit, litteram ш in *s*, ч in *c*, *h* in *g*, *t* ante *i* in *ć* mutat.

Pannonius *niesem*, *nieseш*, *niese*, *niesieme*, *niesiete*, *niesu*. vel *nesem*, *neseш*, *nese*, *neseme*, *nesete*, *nesu*. Meridionales vero omnes in singulari cum Pannonica concordant, in plur. vero 1am et 3am personam per *o* efferunt; uti: *nesiem*, *nesies*, *nesie*, *nesiemo*, *nesiete*, *nesio*. hinc sequitur duplicem praesentis erui formam in vetustate, et vivis dialectis fundatam, septemtrionalem nempe et meridionalem.

1ma *nesu*, *neseш*, *neset*, *nesemi*, *nesete*, *nesut*.
2da *nesiem*, *nesieш*, *nesie*, *nesiemo*, *nesiete*, *nesio*.

In prima forma ideo prima pluralis per *i* effertur, quia haec terminatio fundatur in veterrima dialecto uti ex Bibliis patet, tum ipsi Russi ex parte, et Poloni universaliter ita loquuntur, item svavitas cantus terminationem

per vocalem requirit; tandem si per *m* efferretur, confunderetur cum secundae formae prima persona singulari, hinc qualecunque, et cujuscunque formae, conjugationis dialecticae hanc svaviter sequetur formam, citra omnem Grammaticorum disquisitionem anxiam, an illud 1ae 2, 3, 4, 5, 6ae. formae sit, si quidem genium linguae Slavicae nonnisi unicam inflectendi formam sequatur, meridional. *liubim, liubiu, liubi, liubimo, liubite, liubio*; *volam, volau, vola, volamo, volate, volajo*; *mazem, mazeu, maze, mazemo, mazete, mazeio*, vel *jo*; vel septemtr. *mazu, mazeu, mazet, mazemi, mazete, mazut etc.*

§. 20.

Alteram praesentis formam, seu meridionalem esse potius Italicam, quam Slavicam, sic Italus dicit: sentiámo, sentíte, sentino. *etc.* ergo non adoptandam. Repono: omnino convenire meridionalem formam cum Italica, hinc tamen non sequitur Slavicam formam ducere originem ab Italica; Italica enim est filia latinae, jam vero latina adhuc florente, adeoque viva, Slavicae gentes copiosissimae tum in orientali, tum in occidentali imperio habitarunt, et quidem in ipsis visceribus imperiorum, unde et ex Slavica gente viri ad utriusque imperii solia evecti sunt. Id Justiniani Mater *Bidlenica*, Pater vero *Urpravda* confirmant. Porro ter-

minationem meridionalium esse genuinam patet inde, quia Bohemi tertiam pluralis per *o* efferunt, licet per *au* scribant, sic *milujau*, *majau*, legitur: *milujo*, *majo*. Tandem ipsi Russi ab Italis remotissimi primam pluralem saepissime per *o* efferunt. ut *povidamo*, *pisamo* [*etc.* licet Grammatici Russici id nec attingant. et ipsi Pannonii ita loquuntur.

§. 21.

Elapsi temporis expressio activa in veteri dialecto legitur per *x*, uti superius dictum fuit, ast legitur etiam per *l*, cum vel sine auxiliari *jesm* e. g. *чitax*, *liubix*, vel *чital*, *liubil*, vel *чital*, *liubil jesm*, *jesi*, *jest*, quod auxiliare in plurimis dialectis abbreviatur per *sem*, *si*, *je*, *in* plur. *jesmi*, *jeste*, *jesut*, abbreviatum *sme*, (*smi*), *ste*, *su*, vel *smo*, *ste*. *so*.

Terminationem per *x* vivae dialecti non sequuntur, praeter Slavonitas, mutato tamen *x* in *h*, sic *liubih*, *uчih*, loco *uчix*, *etc*, verum et ii terminatione per *l* utuntur, ita tamen, ut *l* e consvetudine dialectica in masculino singulari per *o* efferant, sic *jesam uчio*, *uчila*, *uчilo*, *etc*; quia vero Grammatici in aliis linguis vident variam perfecti partitionem, ideo et in Slavicis suis dialectis id attentarunt, unde perfectum, imperfectum, perfectum compositum originem trahit.

Russus exprimit perfectum *sine* auxiliari; e. g.

Ja, ti, on *etc, učil, učila*, o. Pl. *mi, vi, oni učili*
dvigal, a, o. — — *dvigali.*
vodil, a, o etc — — *vodili.*

Polonus sequenti modo exprimit cum auxiliari conjuncto.

Singulari.			Plurali.
m.	*f.*	*n.*	
1. *xvalilem,*	*xvalilam,*	*xvalilom,*	*xvalilismi.*
2. *xvaliles,*	*xvalilas,*	*xvalilos,*	*xvaliliscie*
3. *xvalil,*	*xvalila,*	*xvalilo,*	*xvalili.*

quod nihil aliud est, quam *xvalil, a. o.* cum adjecto, eoque abbreviato auxiliari *sem*, sic in prima, et secunda persona, *xvalil* (*em*) *xvalila* (*m*), *xvalilo* (*m*), *xvalil* (*es*) *es* contractum ex *jesi*, *xvalili*, (*smi*) *xvalili* (*scie*) loco *jeste, stie, ste;* hic *t* ante vocalem in aliis dialectis mollitur, Polonus vero mutat in *c*. Hanc inflectendi rationem Bohemus cum Pannonio sequuntur, auxiliare tamen verbum in scribendo non conjungunt, licet in sermone unius instar vocis efferant, sic *xvalilsem, xvalilasem, xvalilo sem, si, xvalilisme, xvaliliste, xvalili.* Bohemus neutrum plurale etiam per *a* effert, quod fit etiam apud Serbos et Vindos, ut *hvalili, e, a, smo, ste, so.* sic Vindus dicit: *Domiska gorela so;* Bohemus: *Domiska hořeli*, vel *hořela* (*sau*); Pannonius; *Domiska horeli*; Polonus: *Domiska goreli,* (*gorzeli*), Russus; *Domiska goreli.*

§. 22.

Omnes meridionales exprimunt perfectum per *l* cum auxiliari, sic Vindi cum reliquis Illyriis.

Singulari.

m. jedel,	*vrel,*	*igrol,*	*delal*	*sem, si je,*
f. jedla,	*vrela,*	*igrala,*	*delala*	*igral sem,*
n. jedlo,	*vrelo,*	*igralo,*	*delalo.*	*igrala si etc.*

Plurali.

m. jedli,	*vreli,*	*igrali,*	*delali*	*smo, ste, so, igrali smo, igrale smo*
f. jedle,	*vrele,*	*igrale,*	*delale.*	*f. igrale ste; igrale so,* aeque foem.
n. jedle(a)	*vrela,*	*igrala,*	*delala*	

Hinc sequitur, quum caracteristica perfecti sit *l*, perfectum posse exprimi etiam sine auxiliari more Russorum, vel cum auxiliari more aliarum dialectorum, quarum nonnullae jam interserunt, jam omittunt auxiliare, sic Pannonius: *Ja videl mojego otca*, vel *ja sem videl mojego otca etc.*

§. 23.

Celeberrimus Serborum Grammaticus elapsi temporis expressionem triplici modo exponit, nempe:

Imperfectam

1 *igra*, 2. *igrawe*, 3 *igrawe Plur.* 1 *igrasmo*, *igraste*, *igrau.*

Perfectum simplex:

1 *igra*; 2 *igra*, 3 *igra* Pl: 1 *igrasmo*; 2 *igraste*, 3 *igraше*.

Compositum perfectum

Singulari			Plurali:	
m. *igrao*		*sem, si, je*	*igrali*	*smo, ste, su*
f. *igrala*			*igrale*	
n. *igralo*			*igrala*	

Isthic expositum imperfectum, et perfectum simplex, nihil aliud est, quam veteris dialecti perfecti temporis reliquiae, et quidem in veteri dialecto dicebatur et *igral*, et *igrax* cujus ultima littera *x* adhuc apud Slavonitas conservata est per *h*, *igrah*, quae littera a Serbis in communi loquendi ratione fere exulavit; hinc Serborum praemissa scribendi ratio cynosurae instar servire nequit, ast compositum perfectum concordat cum reliquis dialectis, quod apud Russos est perfectum simplex, quum ibi sine anxiliari *jesm* efferatur, sic: *ja*, *ti*, (*on*, *a*, *o*) *igral*, *a*, *lo*, *etc.* Serbus in plurali ut adjectivum inflectit, *igrali e*, *a*, et sane; si enim in singulari per omnes dialectos sequatur genus, cur et in plurali non sequeretur exemplo Serborum, Vindorum, et Bohemorum; perfectum itaque exprimi potest cum vel sine auxiliari, habita simul ratione generis in utroque numero.

§. 24.

In Grammaticis nonnullis dialecticis sunt nimis prolixi tractatus de expressione futuri, ast omnes ii tractatus in eo conveniunt: quod verba primigenia, frequentativa, vel frequentativo frequentativa exprimantur in futuro ope *budem*, (*budu*); composita vero e primigeniis tam originaria, quam formata jam praesentis forma futurum indicant, sic e. g. *kopati* primigenium *budem kopati*. vel *budu kopati*. frequentat. *budu kopavati*, vel *budem kopavati* frequentativo frequentativum *budu kopavavati* est Futurum. Ex hoc verbum momentaneum formatum interjecto *n* erit *kopnu*, vel *kopnem*.

Nunc verba originarie momentanea, *kupiti*, *streliti*, *dati etc.* in futuro exprimuntur, *kupim*, *strelim*, *dam*, quae verba distinguenda sunt a *kupivati*, *strelavati* (*strelati* abbreviatum) *davati*, sunt enim jam frequentativa, et ideo exprimuntur in futuro ope *budu*, frequenter enim fit, ut in dialectico usu verba in vicem talia sibi substituantur, quam tamen substitutionem genium linguae stricto sensu sumptum pati nequit; hinc fit, ut Grammatici a verbis *duti*, *zuti*, *kuti* perfectum deducant: *duval*, *zuval*, *kuval*, loco *dul*, *zul*, *kul*, priora enim sunt perfecta verborum: *duvati*, *zuvati*, *kuvati*: *etc*. Nunc videamus usum horum in variis dialectis, e. g.

Russica.

Matuшha ! na dvor gosti jedut.
Sudarynja, na dvor gosti jedut.
Ditjatko! ne boj sia, ne vidam,
Svet miloje moje! ne bojsia ne vidam.
Matuшka! na kryleчko (*a*) gosti idut
Sudarynja! na kryleчko gosti idut,
Ditjatko! nebojsia etc.
Matuшka! v novu gornicu)*b*) idut,
Sudarynja,! v novu gornicu idut,
Ditjatko etc.
Matuшka, za dubovoj stol sadjat sia,
Sudarynja! za dubovoj stol sadjat sia
Ditjatko! etc.
Matuшka! obraz zo stieni snimajut,
Sudarynja! zo steni snimajut,
Ditjatko etc.
Matuшka menja blago slovjajut,
Sudarinja, menja blago slovjajut.
Ditjatko! gospod Bog s toboju!
Svet miloje moje! gospod Bog stoboju
(*a*) sxodki (*b*) conclave superius pro hospitibus.

Pesma maloruska.

Sivji konju, sivji konju!
Težko na tie bude,
Poidemo ražom s vetrom
Popasu nebude.
Bihaj konju rikal konju,
Bo sie veчerije;

Oj tam sedit moja mila,
    Kde z lisa zorije. (c)
Vidzu milu, vidzu lubku,
    Divit sje v okence,
Xoti, (d) jak temno, xoti nevidno,
    Svitit sje jak sonce.
Stanuv konik, stav sivenkij,
    U miloji xaty (e)
Tu ja xoчu (f) zavшe ziti,
    Tu xoчu umerati.

(c) les, lis sylva, zoriti diescere, unde crepusculum, zori. (d) xoti, quamvis, usitatum Pannoniis aeque (e) xati, domuncula. (f) xoчu, xoшчu. volo.

Polonicum melos.

Bajka Polska.

Juz mgla na morskiei opadla provodzi
Juz zalosć padla v serce vojovnika.
Ze sinego mora, mgla sara nie sxodzi,
Ni zalosć ze serca molodca nieznika.
    Nie jest to gviazdą, co blisći na (luce)
Lec jakies sviatlo zvodne latające.
    Tam niedaleko byl vojak rozvarti,
Na nim lezi molodec na ruku (ręku,) oparti,
Smiertelnu ranu v piersiax odniesionu,
Prićiska xustku skrvavionu,
Pri nim kon stoi dzielne Donu plemie,
Ostrem kopitem mokru zriva zemiu
I tak, (jak poviesć niesie)

Çili sam movi, ci movic zdaje sie;
Vstan moj molodcu, vstan moj dobri panie!
Nie daj sie dluzej brocic tvojej ranie,
Xvić sie za grivu moju dlugu.
Usiadz na viernego slugu,
On cie zaniesie v dom tvoj ulubioni
Do tvej matki, do dzieci, do tvej peknej żoni.„
Na ta slova molodec lzami tvar svu rosi. etc.
Tak do konia premavia! O koniu moj dobri!
Nigdi nezmordovani, i ruci i xrobri,
Cos v służbie Cara mego, sedl (mel) so mnu
na vojnu,
I tam lotniejsi od vixrov salonix,
V posrod ognistix gradov vipusconix,
Już jes mi niepotrebni, tak kazal los slepi,
Jdz v dalekie Donu a stepi,
Poviedz mej mlodej vdovie, żem (że sem) me
slubi zmienil,
Zem (że sem) sie już s jinu ożenil,
Vziol s niju v posagu kilka piondzi ziemi,
Ze ostra sabla już nas polucila,
A gorejaca strela spac nas położila.

Hic textus Polonicus est integer servatus, excepto *z* post litteram *r*, sic loco *potrzebni*, scriptum *potrebni*, in non nullis locis *ą ę* exmissum, et prout effertur, scriptum, sic loco *vział*, scriptum *vziol*, c loco *t*, est ubique retentum, eo tamen non obstante totus contextus facillime intelligitur. sic Polonus dicit: *spać nas położiła*, loco *spati nas położiła*.

Pesnia serbska.

Devojчica vodu gazi (*g*)
Nogi joj se beljo.
Za niom ide mlado momчe, (*h*)
Grohotom se smije:
Gazi gazi, dievojчice;
Da bys moja byla,
„ Kad by znala, i videla,
Da by tvoja byla:
Mlekom by se umivala,
Da by biela byla.
Ruzom by se utirala.
Da by rumena byla;
Svilom (*i*) by se opasala,
Da by tanka byla.

(*g*) gaziti, vadare. (*h*) momeч, vel Junak, vel molodec. Juvenis. (*i*) svil, originalius quam in aliis dialectis hodbab.

Jina.

Dievojчice, sitna liubiчice!
Liubio by te, ali si malena.
„ Liubi me dragij, byti чu i golema. (*k*)
Maleno je zrno biserovo (*l*)
Ale se nosi na gospodskom grlu.
Malena je ptica prepelica
Al' umori konia, i Junaka.

(*k*) velika. (*l*) biser gemma.

Nunc videamus Bohemicas, vel Pannonicas ita tamen, ut *h*, mutetur in *g*, ad conformationem reliquarum dialectorum.

Bohemica.

Kdiž sem išel skerz dubovi les,
Pripadla mnia drimota;
A za glavu mne do rana
Rozmarina vikvetla. (*m*)
Porezal sem vseki pruti
Do gromadi spleteni;
Ti sem pustil po vodičke,
Po vodičke studenej.
Ta, ktera ji lovit bude,
Rozmarinu zelenu,
Jiste ta ma mila bude
Za vodičku studenu.
Išli rano k rece panenki, (*n*)
Do vieder nabirali,
A pruti kniem z rozmarinu
K samej lavce plinuli.
Tu mlinarova Liduška
Po nix se nagibala,
A neštiasna golubinka
Do vodički upadla.
Zvoni, zvoni! smutni zvoni!
Co to asi znamena?
Povjedste mili ptačkove,
Snad to neni ma mila?
„ Tvu milu, tve potešenie
Do rakve ti skladajo
Čtiri muži v černem ruxu,
Do grobu pokladajo.
Ax moj Bože najmilejmi!
Ti jsi mi vzal mu nevestu!

Povjedste mili ptačkove
K jej grobičku cestu (*o*)
„Za verxem tam v kostoličku,
Spivajo v kuru kniezi (*p*)
Pjet krokov za kostoličkem
V grobje tva mila leži.
Budu plakat, a se služit,
Na ten tmavi grob sednu,
A pre tobje ma panenko
Tiežki gori (*q*) ponesu.
Tiežki ja po nesu gori,
Až mne smert visvobodi
A z rosmarinu Veneček
Na moj prikrov položi.

(*m*) kvet, aliis svit, (*n*) devojka, virgo. (*o*) put, draga (*p*) sviaщčeniki (*q*) gora, dolor quid adversi, amari.

§. 25.

Ex his patet, quam parum Slavicae dialecti interse differant, et in spiritu plane concordant; ast progrediamur ultro. Aliqui Grammatici faciunt futuri periphrastici mentionem, ope verborum *xomчu*, *imam*, volo, habeo; verum haec verba juncta Infinitivis e genio linguae Slavicae alium longe sensum habent, quam ut stricte futurum tantum indicent, sic *imam pisati, sliщati, dielati*, significat: mei est scribere, *etc.* *xoщчu* vero, inde *xчu, xcu, чu, tju*, indicat voluntatem quidpiam agendi, non vero stricte

futurum verbi, licet legatur etiam in codicibus: *ne imate vidjeti, usliшati, vjerovati* idest: non videbitis, audietis, credetis, etc haec enim est violenta e graeco textu futuri expressio, usu quidem communi in nulla dialecto confiirmata. Serbis quidem arridet expressio futuri ope *хошчu, чu, tju*, sic *Ja чu napisat*, loco *napiшu, napiшem*; verum hanc futuri expressionem esse violentam ipse contextus docet; nam quomodo exprimetur voluntas scribendi? nonne per *чu, хчu etc. e. g. Ja хочu tvoje ime (imeno) napisati.*

Poloni, tum Vindi, et aliqui Illyri formant futurum ex perfecto adjecto anxiliari *budu*, sic Polonus. *bedę xvalil, a, lo etc.* Illyrus, *budem xvalio (xvalil), la, lo etc.* Vindus *bom* (contractum ex *budem*) *hvalil*: Caeternm et Poloni, et Illyri, praeter dictam futuri expressionem etiam ab infinitivo formant adjecto auxiliari, sic Polonus: *bedę xvalić;* Illyrus: *budem xvaliti*; Vindus tamen non recedit a sua contracta loquendi ratione: *bom, boш, bo igral, a, o. bomo, bote, bodo igrali, e, etc.* Formatio futuri ex perfecto fundatur etiam in codicibus veteris dialecti, sic: *Usnul budet, Stvoril budet etc*, hocque futurum Grammaticis exactum dicitur, quod locum habet potissimum tunc, dum plura concurrunt futura, ita ut non nisi uno exacto aliud sequatur, et hoc sensu etiam Clariss. *Relkoviч* probavit in sua Gram. Illyrica: sic: *kado mi budemo imali, damo vam.*

kdi mi budemo zozali zito, budemo vam zati. Alii Slavi simplici futuro hic utuntur, sic: *kdi*, vel *gdi zoznemo zito, budemo vam zati.* Russi vero tersiores loco futuri hujus exacti utuntur adjectivo praeteriti, sic *zozavuui zito naше, budemo vam zati.*

§. 26.

Genium linguae Slavicae respuit expressionem plusquam perfecti, ideo in non nullarum dialectorum Grammaticis nec occurrit ejus mentio; aliqui tamen illud formant a perfecto addendo *byl*, et Russus *byvalo*, pro omni genere. sic: Polonus: *xvalilem byl*, Bohemus: *Byl sem xvalil;* verum hae expressiones videntur e servili imitatione aliarum linguarum immigrasse, quia nec fundatur in veteri dialecto, sed nec usu ipsissimarum dialectorum comprobatur, nisi quis serviliter alias imitetur linguas, originarius enim Polonus, nunquam eo utitur, ideo et Russicum *byvalo* est tantum Grammaticorum commentum, non vero linguae genium; est enim nil aliud nisi *bylo* in neutro frequentative positum, sic *byti*, frequentat. *byvati*, frequentius esse, unde apud Pannonnios pro habitare acceptatur.

§. 27.

Modi optativi, seu conjunctivi, vel etiam

conditionati tunc fit usus, dum quidpiam optatur, et tunc potissimum duae propositiones ope particularum conjunguntur; quia vero in expressione hujus modi semper verbo auxiliari *jesm* utuntur Slavi, interest vim hujus verbi eruderare. Verbum isthoc *jesem*, contracte *jsem*, *sem*, *som* est verbum existentiae, non vero functionis, differt itaque a reliquis verbis tamquam functionem indicantibus ipsa natura; nam prius ens quodpiam debet existere, quam functionem peragat suam; hinc, quotquot isthic temporis expressiones, totidem existentiae diversa videntur esse verba, sic praesens: *jesem*, *jesi*, *jest*, *jesmo*, *jeste*, *jeso* profluit a themate *jesti*, quod significat etiam medium adhibere, ut ens vivum existat, hinc et latinum esse significat jam existere, jam edere. Verbum vero *byti* existere, unde *byx*, *byl etc.* est verbum existentiae continuatae, unde et Slavorum supremi Entis Nomenclatio: Byx, Büx, Box, Bux, Bog, ortum ducit, hinc verbum *byti* cum *jesti* nil ethymologici habet, sed per se subsistit verbum *byti*, unde frequentativum *byvati*, etiam pro habitare, inde *byeda*, seu habitatio cum miseria, nec non *byedovati etc.* Tandem pro indicatione futurae existentiae est verbum *budeti*, unde *budu*, *budem*.

Inflexio horum trium a se in vicem distinctorum verborum est regularis et quidem.

Singulari.

Septem. 1 *jesem*, 2 *jesi*, 3 *jest*, abbreviate
Merid. 1 *jesem*, 2 *jesi*, 3 *jest*, *sem*, *si*, *je*

Plurali.

Septem. *jesmi, jeste, jesut.*
Merid. *jesmo, jeste, jeso. smo, ste, so.*

Inflexio verbi *byti* pariter est regularis, et quum sensum solum praeteriti exprimat, hoc ipso pro praesenti adhiberi nequit; perfectum itaque exit uti in aliis verbis abjecto *ti*, et posito *l*, sic : Sing. *byti, byl, byla, bylo.* Plur. *byli, byle, byla, sine,* vel cum anxiliari, *Ja jsem byl*

Inflexio tandem verbi *budeti* aeque regularis manet:

Singulari.

Septem. *budu, budeш, budet,*
Merid. *budem, budeш, bude,*

Plurali.

Septem. *budemi, budete, budut.*
Merid. *budemo, budete, budo,*

§. 28.

Imperativus ex *jesti*, et *byti* non deducitur; nam Imperativus futurae functionis ideam in se continet, imperativus vero ex *budeti*, fit *budi*, et hanc esse genuinam imperativi formam Ecclessiastica confirmat dialectus, sic: *Boże Gospodin! budi milost tvoja na nas nynje, i vevjeki. Uuчedri, blagoslavi nji, i prosviti liчe svoje na nji, i omiluj.*

Haec reperiuntur acu Phrygia picta in reliquiis Sti Stephani Proto regis Hungariae.

Russus dicit *bud* adjecto Jeri *b*, quod molliendam praecedentem litteram indicat. Pannonius aeque *d* mollit; jam vero Pannonius nunquam mollit *d* nisi sequente vocali e, vel i, cum itaque in Pannonico *bud* nulla sit vocalis, sequitur eam esse absorptam, quam rursus recipiendam svadet auctoritas veteris dialecti, aliarumque meridionalium dialectorum, tum regularitas linguae, scribendum itaque: *budi*, Idem de omnibus verbis in Imperativo est intelligendum, hinc non more Pannoniorum: poď, broď, kruť, sed *poidi*, *brodi*, *kruti*; *pot* enim immediate deducitur ex poď elisa vocali *i* ante et post *d*, derivatur enim ex *ideti*, et praepositio *po*, unde *poidem*, vel *poidu*, *poidi*, non vero *pot*, perfectum vero *poidel*, est enim analogum Vindico *naidel* ex *naideti*; *poiwel* vero tum *naiwel* etc similia thema suum habent in *poiwti*, *naimti* Infinitivo: in dialecto enim circa Cassoviam dicunt *iwti* loco *jiti* quod abbreviatum et detortum est ex *ideti*, unde praesens nullibi est *iwem* sed *idem* Polonis *idzem*.

§. 29.

Aliquae Dialecti tertiae personae Imperativi praefigunt particulam *nex*, Polonis *niex*. Serbis *neka*, Vindis *naj*: haec particula orta est ex abbreviato imperativo *nexaj* a *nexati*, Germanice *lassen*; quapropter particula *nex* in stricto imperativo locum non habet; nam nec in

veteri, nec in Russica, ac Bohemica dialecto particula haec praefigitur; *nex* itaque est circumscriptio, non autem stricta imperativi expressio, sic *nex on bude*, loco *nexaj on bude*, sine eum esse, vel ut sit, *lasse ihn seyen* apud Germanos; tale est etiam *da, da Bog*, similiter in antiquis Germanicis wollte Gott, apud Polonos, Bohemos et Pannonios *abyx*, hic certe littera *d* est exmissa, scilicet: *da byx*, hoc vero est abbreviatum ex: *da Box*, vel *Bog*, *Byx etc*

§. 30

Optativi modi expressio semper est conjuncta cum anxiliariari *byti* sic Russus. *Ja, ti, on, ona, ono*) *by byl, a o.* Plur. *mi, vi, oni etc. by byli* etc. manet ubique *by* invariabile, sed adnexum praeteritum *byl* variat ut adjectivum. Polonus illi *by* adnectit etiam contractum *sem.* sic: *Ja bym byl, ti bys byl.* Bohemus: *Ja byx byl, ti bys byl, on by byl otc.* plur. *byxom, byste, by bili, e, a*, Illyrus: *bih, bi, bi, bismo, biste, biwa* adjecto *byl, a, o*, Hic omnes dialecti in essentia conveniunt; nam radix ubique est eadem scillicet: *byx*, vel *bily* vel *bi*, solum dialectica varietas occurrit. Vetus dialectus habet: *byx, by, by, byxom, byste, bywa.* Tenui opinione mea existimarem Polono-Bohemicam formam assumendam, in veteri dialecto fundatam, et svavitate meridionalium temperatam. sic: *byx* (m) *bys, by, bysmo* (i), *byste, byso* (ut) cui

ui adjecto *byl, a, o,* erit optativi praesens:

'a — — *byx* (*m*) *mi* — — *bys mo* (*i*)
i — — *bys.* *vi* — — *bys te*
n, ona, o, *by.* *oni, one, ona by* (*byso*)
byl, a *byli e, a*

In plurali perfectum adjectivale *byli* non ıutatur in Ecclesiastica, Russica, tum Poloni- a dialectis; Vindi vero mutant masc. *byli*, ɔem: et neutr. *byle.* Bohemi masc. *byli* foem. *yly.* neutr. *byla.* Sunt tamen dialecti, quae icunt masc. *byli*, faem. *byle* neutr. *byla*, et *ane*; si enim in singulari ut formale adjecti- um mutatur, cur non mutaretur et in plurali, l certe et Logica linguae Grammatica svadet, t dialecti Meridionales, in specie Serbica con- rmant. Hanc optativi expressionem Gramma- ici vocant jam Imperfectam, jam perfectam, ynosura scilicet aliarum linguarum delusi; quae amen est vera, et genuina praesens optativi xpressio; nam praesens desiderium nuspiam ilavus aliter effert, quam praeallata loquendi ratione, adjecto scilicet *by etc.* Sic ego luben- er scriberem. *Ja byx pisal,* ego lubenter es- sem: *ja byx byl, a, o, etc,* cui adjecto adhuc *byl*, erit elapsi desiderii indicatio: sic *byl byx igral, a, o etc. pisal, mislel, molil etc.* est verum perfectum optativi, non vero Plusquam perfectum; nam Grammatici, qui isthanc opta- tivi expressionem plusquam perfectum nomi- nant, perfecto destituuntur, quid autem est perfecto carere, plusquam perfectum autem habere? etc.

§. 31.

Optativus futuro in Slavicis Grammaticis ideo destituitur, quia praesens jam exprimit ideam futuri, optantur enim futura, non praesentia; Latinorum vero futurum ita dictum conditionatum, vel futurum antecedens, apud Slavos exprimitur vel per simplex futurum, vel per adjectivum verbale praeteriti, vel per ita dictum futurum exactum e. g. Postquam prandero, scribam, Slavice: *Gdi odobjedujem, na piuuu pismo*, vel *odobjedavuui napiuuu pismo*, sic *kdi napiuuu pismo, odidem*, vel *napisavuui pismo odidem, vel gdi napisal budem pismo, odidu, etc.* hinc jam facillime eruentur optativi expressiones.

Praesens.

	Singulari			Plurali.	
Ja	*byx*	*uhyl, a o*	*mi*	*bismo (i)*	*uhyli vel uhyli, e a.*
ti	*bys*		*vi*	*byste*	
on, a, o	*by*		*oni, e, a by (bysut) byso)*		

Perfectum fit adjecto *byl, a, o*:

Singulari.

Ja	*byl, a o*	*byx*	*uhyl, a o*	*mi*	*byli vel byli, e a*	*bysmo (i)*	*uhyli vel uhyli, e, a.*
ti		*bys*		*vi*		*byste*	
on a, o		*by*		*oni, e, a*		*by, (byso bysut)*	

§. 32.

Qualecunque verbum secundum praemissa inflectitur principia; equidem non ignoro a non-

nullis dialecticis isthaec principia damnatum iri; verum tale damnationis judicium nonnissi dialectici ferent Grammatici, quod enim una dialectus approbat, id altera damnat, et vice versa, nec enim aliam Grammatici Referentes ferre possunt sententiam. Caeterum inconcussa veritas manet, e genio linguae Slavicae nonnisi unicam inflectendorum verborum dari formam; videamus enim Russorum 6 formas ad unam redactas, observabimus ipso usu variarum dialectorum hanc reductionem confirmari.

Verba 6. *formarum ad unam redacta. Infinitivus.*

Imati, ljeti, pliuti, terpieti, dojiti, zelati, tkati etc. hinc abjecto *ti* et posito *u*, vel *m* erit praesens: *imam, liejem, pliujem, terpjem, dojim, iu, i, dojimo dojite, dojo;* vel more septemtrionali: *doju, iu, i, dojimi, dojite, dojut. etc.* Nunc loco *ti* posito *l*, erit perfectum: *imal, liel, pliul, terpjel, dojil, zelal etc.* sine vel cum auxiliari, sic *Ja dojil*, *vel ja sem dojil etc.*

Futuri natura uberius exposita; unde quum praeadducta verba sint primigenia addito *budu* vel *budem* erit futurum.

Imperativus formatur abjecto *ti*, et posito *i*, seu *j*, hinc sive scribam: *imaj, lieji, pliuj* vel *imai, liei, pliui, terpej, tkaj.*

Optativi praesens erit adjecto perfecto *imal* auxiliari *byx* sic: *ja byx imal, dojil, terpiel, zelal etc,* cui rursus si adjiciatur, *byl, a, o.* erit perfectum optativi, sic: *Ja byx byl terpiel.*

Adjectiva vero sequenti modo deducuntur. praesens infinitivi *iti* mutato in *ici*, vel, *uci*, vel *àci*, quod *c* effertur in nonnullis dialectis ut ч. sic *imajici*, *terpjejici*, *dojici*, vel *dojaci*, *zelajaci*, *vel zelujuci*, *tkajuci etc.* vel *tkajuчi*, *zelajuчi*, *sluшajuчi etc.*

Adjectivum perfecti activi, abjecto *ti*, et posito *v*, erit: *Imav*, *liev*, *pliuv*, *terpiev*, *dojiv*, *zelav*, *tkav.*

Participium passivi praesens loco *ti* posito *m*: *imam*, *a*, *o*, *liem*, *a*, *o*, *plium*, *a*, *dojim*, *a*, *o* *zelam*, *a*, *o etc.*

Participium pass. praeteriti loco *ti* posito *n* *iman*, *liejen*, *pliun*, *terpjen*, *dojin*, vel *dojen* *zelan*, *tkan*, *pisan*, *чitan*, *etc.*

Adverbium formatur ut part. praesens activi, solum abjecto finali *i* sic: *imajuc*, *tkajuc*, *pliujuc*, *dojuc*, vel *dojac*, *sedac*, *smiejac. etc.*

Substantiva rursus verbalia varia potissimum tamen desinentia in *nie*, quae praesentem quasi functionem denotant, et desinentia in *nost* praeteritam, oriuntur sic: *imanie*, *lienie*, *pliunie*, *terpjenie*, *dojenie*, *zelanie*, *tkanie*, *uчenie etc.* haec tamen et similia ad logicam Dictionarii concinnationem spectant.

Fors me quis arguet quod tam violentum vocabulum *imanie* scilicet deduxerim, credo: ast legamus et pervestigemus etiam alias dialectos, videbimus isthoc esse in usu significatque quidpiam habere, seu ut ita dicam habitio alicujus rei, licet Pannoniis fors *imanie* tantum

fictio adpareat, idem intelligendum de reliquis: quapropter genium linguae examinandum, quod fit per combinationem dialectorum *etc.*

§. 33.

Occurrunt apud Dialecticos praeter varias conjugationum formas regulares, etiam verba irregularia, ita tamen ut saepissime in una dialecto verba irregularia in alia sint regularia, et vice versa, quare finis linguae, ratioque ipsa svadent regularem adoptandam esse formam; in veteri dialecto sequentia verba ut irregularia adferuntur: *Jam* (*jem, jedem*) *snjem, vjem, dam, idu* (*idem*) *reku, imu, pnu, žnu, načnu, xoušu, čtu, viždu* video, *vladu, išču* plura nec occurrunt, ast tam haec, quam alia in variis monumentis sacrae antiquitatis varie leguntur, nec enim ipsa monumenta concordant, hinc etiam difficile est judicare hanc aut illam prae aliis expressionem esse genuinam, scribebant enim varii varie uti loquebantur, sic in Psalterio Veneto legitur: *srebra svojego ne dašt v lixvu*, argentum suum non dedit in usuram; en perfecti expressio per *dast*: legitur esiam per *dade*, tandem per *dal*, sic Psalmo 48: *Dal jesi veselje v serci mojem*, dedisti laetitiam in corde meo. Imperativus legitur *dažd, dadi, daj etc*, quemadmodum id eruditissimus *Dobrovski* in Grammatica veteris dialecti exponit. Nunc videamus adductorum verborum

usum in vivis dialectis: *Jam*, *jem*, *jedem* a themate *jedeti*, *jesti*, *jeti*, *jiti*, si sit thema *jedeti*, erit: *jedem*, *jedel*, *jedev*, *jeden*, *jedenje*; si a *jeti* erit *jem*, *jel etc.* nam et hic usus est in Pannonia, *snjem* vero est plane regulare in dialectis. *Vjiem* est abbreviatum ex *vjedem* a themate *vjedeti*, unde in Praeterito dicitur: *vjedel*, *vjedenie etc. Dati* vero tum *znuti*, *rekati*, *ideti*, *pnuti*, *znuti*, *naчnuti*, *videti*, *iskati*, *vladati*, *xouчeti*. *Xceti*, *чtiti*, *ctiti*, nulli incidet inter irregularia referre, si quidem praestabilitam omnia sequantur formam, si omnes dialectos ut unam, prouti est, consideremus linguam, sic:

xcem	(*u*)	*xcel*,	*xcev*,	*xcen*,	*xcenie*
vidim	(*u*)	*videl*,	*videv*,	*viden*,	*videnje*
чtim	(*u*)	*чtil*,	*чtiv*,	*чten*,	*чcenie*

imu cum compositis *poimu*, *naimu*, *zaimu* est regulare *poimu*, *poimal*, *poimav*, *poimanie*, *poiman*, *poimaj etc*, *reku*, a *rekati*, *rekal*, *rekav*, *rekaj*, *rekanie*, a themate vero *reчeti*, *reчem*, *reчel*, *reчen*, *reчenie etc*; ut adeo, si linguam Slavicam per omnes dialectos ut unam consideraverimus linguam, omnis irregularitas veluti nebulae orto sole dissipabuntur; si vero seorsivas dialectos spectemus, plus minus seorsivis obruuntur exceptionibus, novasque in dies oriri experientia docet; nam omnis dialectus habet suas singularitates, seu ita dictos Provincialismos jam majoris, jam minoris extensionis, sic aliqui Russi *d* in *z*, *ti* in *ч*,

z in ƶ, s in ш mutare solent, *e. g.* a thematibus

budjiti	formant,	*buƶu,*	*buƶen,*	*buƶenie*
krutiti	—	*kruчu,*	*kruчen,*	*kruчenie*
grozjiti	—	*groƶju,*	*groƶjen,*	*groƶjenie*
rosjiti	—	*roшu,*	*roшien,*	*roшienie*
pustiti.	—	*puшчu,*	*puшчen,*	*puшчenie*
mysliti	—	*myшliu,*	*myшlien,*	*myшlienie.*

Polonus ad irregularia verba refert sequentia: *iestem* sum, *jem* edo, *viem* scio, *smiem* audeo, *idzem* eo, *mam* habeo, *dajem* do, *vidzę* video, *mogę* possum; verum in aliis dialectis isthaec verba sunt regularia, et quidem: *iestem* a themate *jesti* esse, in praesente littera *t* perperam retinetur apud Polonos; nam in nulla alia dialecto retinetur ut pote finalis infinitivi, hinc sequitur rectius esse: *jesem etc.* sicque cessat omnis irregularitas verbi hujus. *Jem* est abbreviatum ex *jedem* a themate *jedeti, jedel etc.* quod in *jem* littera radicalis *d* sit elisa, patet ex frequentativo *jedavam*, breviter vero *jedam*, Polonis *jadam. Viem* est superius complanatum, *smiem* vero et *mam* est regulare, scilicet: *smiem*, *smiel*, *smiev*, *smiej*, *smien*, *smienie*; *mam*, *mal*, *mav*, *maj*, *man*, *manie. Ideti* vero omnes dialectici in perfecto efferunt per *iшel* ubi ethymon ejus plane evanescit, scilicet littera *d*, Poloni tamen etiam in perfecto litteram *d* retinent, scilicet *sedlem;* varietas vero inde orta est; quia diversi diverse a thematibus variis deducunt, nempe: *ideti*, *jiti*, *jisti*, *isti*, *iшti*, in supe-

riori enim Pannonia versus Galliciam dicitur *iuti*, unde regularis perfecti formatio *iuel*; hinc manifestum est unice usum non vero regulas logicas dominari in linguis; ne quis me tamen damnet, quod perfectum *idel* ab *idem* exposuerim; nam apud Vindos est in usu *na idel* ex *naideti*, Pannonius vero dicit *naiuel etc.* Verbi *idzem* frequentativum statuunt *xodzę* Poloni, seu *xodim*; ast *xodim* non est frequentativum ejus, verum *idem* frequentativum *idievam*, *idievavam*, *xodim*, *xodivam*, *xodivavam*, id usus confirmat. *Dajem* vero, et *vidzę* sunt regularia in aliis dialectis. *Mogę* (*mogu*, *mozem*) in aliis dialectis, dicit Grammaticus hoc verbum destitui imperativa, et infinitiva expressione, sed cur, causam non adfert, interim *mogu* est verbum potentiae, hinc incassum imperatur, quod non dependet a voluntate, sed a potentia, per imitationem tamen aliorum verborum, quid vetat dicere *mogej, mòzej*, Polonus Grammaticus ultro dicit: nonnunquam tamen audiri imperativum *modz*; ast unde huc littera *d* immigravit? inde; radix hujus verbi est *mouч* in veteri dialecto, in aliis *moc*, unde thema *mocti, moceti*, huic imperativus *moci* vel *moc*, analogum est Polonicum *modz* quoad sonum, non vero quoad orthographicam scribendi rationem; apud Slavos enim facile mutatur *c* in *z*, hinc loco *moceti, mocti, mozeti*, z vero rursus substituitur loco *g*, inde *mogu, mogel*, porro *g* apud Pannonios et Bohemos in *h*, inde *mohel*, loco *mogel*,

quapropter tria themata ejusdem significationis oriuntur, scilicet: *moceti* unde *onemoceti*, *mozeti*, unde *pomozeti*, et *mogeti* Germannico mögen maxime analogum, ex quibus regularem expressionum formationem habebimus. nempe;

mocem (*u*) *mocel*, *mocen*, *mocenie*
mozem (*u*) *mozel*, *mozen*, *mozenie*,
mogem (*u*) *mogel*, *mogen*, *mogenie etc.*

Idem apparet in verbis: *goniti*, *honiti*, *zoniti*, *zenuti*, litterae scilicet *z*, *g*, *h*, pomiscue in variis dialectis usurpantur; hinc a *zoniti* *zonim* vel *zoniem*, *zonil etc*, a *goniti* vero *gonim* (*honim*) *gonil*, *gonen*, *gonenie etc.* hinc videtur ortum ducere *zena*, *zona*, si quidem consvetudo fuerit antiquissimis temporibus apud nonnullas gentes nubiles virgines ad certum locum pellendi et masculis plus promittentibus connubio jungendi, hanc consvetudinem apud Slavicas gentes domi fuisse exempla nostrae fere aetatis testantur in ipsa ad Carpathum Pannonia, tum in Croatia hucdum faeminae a maribus suis apud plebem servili fere modo tractantur, scilicet nequidem cum eis edunt, sed iis sedentibus ad mensam uxores a tergo stant, et si quid eis a maritis detur, edunt.

De passiva verborum expressione

§. 1.

Nonnulli dialectici passivam verborum expressionem prolixis illustrant paradigmatibus;

verum antequam id fiat, interest expendere, utrum Slavi habeant propriam, eamque genuinam passivae vocis expressionem, vel vero tantum compositione eam suppleant. In universa lingua Slavica duae duntaxat genuinae passivae expressiones observantur, 1ma est participium passivi praesens, quod in Bibliis veteri dialecto concinnatis observatur, tum Russi eodem in sublimiori stylo utuntur, in reliquis vero vivis dialectis vestigia ejus pauca apparent, praeter pannonicam, ut: *znami velovek*, homo, qui noscitur, *vedome hrjexi*, rectius, *vjedomi griexi*, *vjedome vini*, *vjedomi*, *a*, *o* dederivatur a verbo *vjedem* scio, cujus abbreviatum est *vjem*, *znami*, *a*, *o* vero a *znati* noscere, inde participium praeteriti *znan*, *a*, *o*, *vjeden*, *a*, *o*

§. 2.

Quum itaque usus ipse confirmet existentiam passivi adjectivi praesentis, id tamquam thesaurum linguae considerandum esse luculentum est, cujus characteristica est *m*, praeteriti vero *n*. Dialectici solum Participium praeteriti adhibent advarias passivi significationes exprimendas adjecto auxiliari praesentis, praeteriti, vel futuri, sic praesens: *ja sem liuben*, *ja byl liuben*, *ja budem liuben*. Russi vero accurate distinguunt praesens a praeterito, sic: *ja liubim jesm*, vel *liubaem jesm*, vel *liubomi*, *a*, *o jesm*. Plurimi Grammatici objectivam reciproci

sia, sa, se, expressionem verbo adjectam passivam autumant expressionem, uti *liubiti sia, militi sia, dvigati sia etc.* ideo, quia *e. g. ja sa menujem,* vel *zoviem etc* correspondet latino: ego nominor etc; ast correspondet etiam activae expressioni: ego me nomino etc. Hinc tantum hoc sequitur; si subjectum cum objecto in eadem concurrat persona uti: *Ja sia, ti sia etc. mi vi, oni, one, ona sia.* (abbreviatum ex *sebia*) exhauriat tam activam, quam passivam in aliis linguis expressionem, non vero, quod haec esset genuina passiva loquendi ratio.

Multi Grammatici potissimum veteres Reciprocum illud *sebja,* = *sia* jungunt verbo, et inde ortum apud illos verbum reciprocum uti: *lubitisia, odrečatisia etc.* Sic Russus; *ja i moj prijatel odrečemsia,* loco *odrečem sia.* Caeterum verbum reciprocum in lingua Slavica est nullum, quia nullam habet characteristicam; nam *sia* non est verbi characteristica, sed est pronomen in ita dicto accusativo casu, quod pronomen in dicto casu semper occurrit, dum subjectum cum objecto concurrit inpersona, seu dum nominativus, et accussativus sunt ejusdem personae, sic: *Ja liubim mojego otca* hic *liubim* non est reciprocum, ast si dicam: *moja sestra sebja, sia, sa liubi,* est reciprocum, quod Russi scribunt: *moja sestra liubitsia,* uti: *dnem trudimsia, a nočju pokoimsia* loco: *dnem trudime,* vel *trudimi,* vel *trudimo sia, a nočju pokoimo sia;* quare non conjuncte

scribendum: *sviatitisia*, *xvalitisia*, *osobitisia*, *gorbitisia*, *silitisia*, *braчitsa* loco: *osobiti*, *gorbiti*, *siliti*, *braчiti etc* sia; nam non semper occurrit cum reciproco *sia*, et si etiam semper occurreret, tamen reciprocum *sia* est diversum a verbo vocabulum.

§. 3.

Habemus itaque quo praesenti, et perfecto passivo genuinas passivas expressiones, pro futuro genuina expressione destituimur, usu nihilomninus omnium Slavicarum nationum adhibetur participium praeteriti adjecto auxiliari *budu*, vel *budem*, tota itaque passivi expressio consurgit ex participio praesentis, et praeteriti passivi, adjectis auxiliaribus, *jesem*, *byl*, *budem*, sic:

Indicativi praesens.

Znam, *a*, *o jesem*, *jesi*, *jest*, Plur. *Znami*, *e*, *a jesmo jeste*, *jeso etc*, sic Rusus: *dvigaem*, *a*, *o*, *etc. jesem*, *jesi*, *jest etc.* Polonus adhibet isthic Participium praeteriti sic: *xvaloni*, *a*, *o jestem etc*, verum ipse Grammaticus Polonus fatetur ultro isthanc expressionem non praesenti sed perfecto convenire; nam *ja jesem xvaloni* est quid elapsi, scilicet: laudatus sum *etc.*

Perfectum *znan*, *xvalen*, *uчen*, *vidjen*, *a o jesem*, *jesi*, *jest*, vel adjecto etiam *byl*, sic: *ja jesem vidien byl*, *ja jesem vidiena byla*, *ona vidiena byla etc.*

Futurum: *budu (m), u, e, znani, a, o, budemo, budete, budo znani, e, a etc.*

Optativus, *byl, a, o byx, bys, byl znan,* vel *i, a, o etc.*

Perfectum fit addito adhuc *byl* ad praesens sic: *Byl byx znan byl, byla byx znana byla, bylo by znano bylo etc* et haec est facilis formatio omnium verborum passivorum, quae secus passivam sui expressionem in ipsa etiam natura patiuntur.

Sectio VIII.

De inflexibilibus orationis partibus.

§. 1.

Actum est de flexibilibus orationis partibus; nam praepositio, adverbium, interjectio, et conjunctio non flectuntur, et haec ad universale Dictionarium reservantur; et quidem praepositiones intuitu regiminum ideo non exponuntur, quia hoc in puncto Slavi ubique conveniunt; adverbia vero nonnulla quatenus sunt comparationis capacia, spectant ad comparationem.

§. 2.

Quod vero Syntaxim attinet; quum lingua Slavica sit originalis, eam etiam originalem ac eandem ubique in dialectis esse experientia docet, syntaxeos exempla iuvat ex va-

variis adferre dialectis; sic in veteri dialecto Pater noster ex missali Glagolitico 1483 impresso:

Otче naш, iꙁe jesi na nebiesiex, svati se ime tvoje, priidi carstvo tvoje, budi vola tvoja, jako na nebesi, i na zemli. Xlieb naш vsedanni, daj nam dnes, i odpusti nam dlgi naшe, jakoꙁe i mi odpuшчaem dlꙁnikom naшim, i ne vevedi nas v napast, izbavi nas od neprijazni.

Legitur etiam aliter Matthaei 6to versu 9.

Otче naш, iꙁe jesi na nebíesiex, da svatísia imja tvoje, da priidet carstvi tvoje, da budiet volia tvoja, jako na nebesi, na zemli, xlieb naш nasuшчnii daꙁd nam dnes, i ostavi nam dolgi naшija, jako i mi ostavlajem dolꙁnikom naшim, i ne vevedi nas v napast, no i zbavi nas od lukavago. Jako tvoje jest Carstvije, i sila, i Slava vo vjeki Amin.

Oratio Dominica alio etiam modo proposita legitur, prout nempe usus loquendi obtinebat; videamus priorum formarum brevem analysim: *iꙁe*, qui. q. q. compositum est ex *i* vel *ji*, et *ꙁe*; *ji* est radicale pronomen tertiae personae in masculino, *ꙁe* vero est particula, quae in nonnullis dialectis uti Pannonica adhibetur pro conjunctione quod; haec particula aliis etiam voculis postposita legitur, sic: *jakoꙁe i mi odpuшчamo etc;* loco *iꙁe* legitur, in missalibus etiam *ki* more meridionalium abbreviatum ex *keri*, *carstvie* legitur etiám cartsvo a *car* seu caesar, sic libri Regum *Carskie knigi*

appellantur, *Jako* legitur etiam *jakoze*, item *kako*. *Vsedanni*, etiam *vsagdanni*, item *g* mutato in *k* *vsakdanni*, imo *vsakdauuni.* *Dnes*, etiam *danas*, *dans*, *Otpuuuчaem*, *odpusчaemo*, *otpuuuчam*, *vevedi*, *vavedi*, *past* tentatio, vocabulum *past* usitatum est apud Pannonios Carpaticos pro insidiis, laqueis, qui ex insidiis struuntur. *Neprijazen* in antiquis libris legitur pro diabolo, hoc vocabulum aeque est in usu apud prodictos Pannonios pro homine malo ut: *nepriaznik*, *Boha priaznik*, *Boha priajaznica. etc. similes* vocum eruderationes ad Dictionarium spectant; sunt enim nonnulla vocabula, quae in una dialecto pro hac, in alia vero pro alia affini tamen significatione sumuntur, sic *e. g. kniaz* apud alios denotat Principem, apud alios sacerdotem; combinatio tahujus usus est facillima; nam Slavi affines sunt Indis orientalibus et linguaa, et mythologia; Indis vero antea prout et aliis populis Princeps Civilis praefuit etiam sacris, quem Slavi nominabant *kniaz*, cui analogum corruptum a Graecis *kagan*, loco *kazar*, a *kazati* posteritati est relictum; *kazati* vero denotat quid ostendere, imperare, unde substantivum *Kniaz* Imperans Civilis, et spiritualis quondam, si scilicet etiam sacris praefuit; aliqui deducunt a *konati.* Bohemi, Poloni, Pannonii sacerdotem hucdum compellant *kniaz*, et quidem Bohemi in praesens Principem nominant *Knize*, quod stricte Slavice significat juvenem Principem a paritate

aliarum formationum ut: *golub*, *golubje*, *gus*, *gusje*, *zreb*, *zrebje*, vel *golubja*, *zrebja*, *gusja*, hinc et *kniaz knize*, vel *kniza* denotat Principis sobolem teneram; sacerdos vero a reliquis Slavis genuine compellatur *Pop*. ab antiquissimo *Popa*, *Papa* Pater. ab aliis vero *sviaшчenik*, seu sacratus sacerdos. Quum vero *kniazi* seu Imperantes, multa negotia et habeant, et habuerint, ideo antiqua aetate debebant aliqua manualia habere, quo connotanda connotarent, et hinc ortum *kniza*, seu etiam *z* transformato in plurimis dialectis in *g*, vel in *h*, inde, *kniga*, *kniha*, non vero ut Tripartitum linguarum observat a Germanico *knicken*.

§. 3.

Videamus textum Russicum originalem syntaxeos causa: *Anibal*, *Amilcarov sin*, *strax Italii*, *prisjazni neprijatel Rimlanam umoril sebja jadom etc.* Hunc textum quisque Slavorum facillime intelliget; est enim genuine Slavice expressus, et quidem *Anibal* est subjectum, cujus descriptio est: *Amilkarov sin*, *strax Istalii*, *prisjazni neprijatel Rimlanam*; praedicatum est *umoril*; objectum est *sebja*, Instrumentalis *jadom*. Porro exempla possessivae terminationis, seu ita dicti Genitivi: *Tvorec neba*, *i zemli*, *spasitel mira*, *otec naroda*, *liubitel nauk*, *dvizenje svietel nebeskix*, *stado koz*, *gorst soli*, *чetvertnik krup* vel *ovsa*, *voz sjiena*, *drov*, *boч-*

ka piva, lożka masla, tysjača duu. etc.

Exempla receptivae Terminationis, seu dativi. *Bože!* vel *Bog! milostiv bud* (*budi*) *mnie grjeшnomu, podoben otcu, raven jemu lietam etc.*

Instrumentalis *vysok rostom, bogat milostiu. Velik imenem i dielom, dik nravom* (ferus natura) *slab zdorovjem.*

Praepositionalis. *skvoz ruku. Iti mimo xrama, dvora, mimo goroda. U tebja, u sebja byti, u nog, u dverej. Volosi unego ljezut* (*liezo*). *Do biela svieta spati. Kričat izo vsego gorla. vozderžavati sia od vina, Bez golovi, bez tebja. Iti podle kogo. Radi Boga*, vel *pre Boga. Protio rjeki, na protio togo. Pri dvorje. ko mnie, k sebie, on okolo tridcati liet. Udariti o kamen, o Bogu o smerti govoriti., Ježat v Rigu, v Moskvu, v Pragu, ježat na rynok. Na um priti. Sukno na kaftan kupiti. Zaplatit za Brata. Pod derevom ležit, pred dom viti, seu viideti. Po gorlo, po шeju ve vodje.* haec et alia concordant adamussim cum reliquis dialectis quoad regimen casuum.

§. 4.

Polonica dialectus facillime intelligeretur, si communi scribendi ratione proponeretur, si scilicet compositae litterae eliminarentur, uti *cz, sz, dz, rz*, et loco accentuati *ć* originale *t* substitueretur, sic: *Idem do domu* (*idzem*).

Co tu mas? nic niemam. zona sluxala, dietie spalo, moz (mas? vidial. Sediac usnul. Moji sinove! budte poslusni Bogu, i otcu vasemu. Bytie nase na Svietie jest krotkie, zitie ludske bylo pred tim nie tak krotkie, jak teraz. Xvaliti uvinki xvalebne jest vec xvalebna. xvalivsi pilnost musjem byti pilnim. Ten pan ukrivdil vsistkix podanix svojix. Kup sobie konia. Slovik spieva vdiecnie v ogradi. Slovo bozie bede tervalo na vieki. Pravdivi krestianie so blagoslaveni, xvala vlasnix ust smerdi. Ma viele sciestia, ale malo rozumu. Dna tretiego Marca. Ten sie nie boji, co zlego nie broji. Nie bylo nikogo v izbie. Bogobojni krestianin xvali pana Boga sviego. Kristus pan urodil sie okolo roku (godu) ceteri tisiacnego po stvoreniu svieta. etc. Polonica dialectus aliarum dialectorum *v* in *c*, *ś* in *s*, *z* in *z*, *t* ante *e*, *i*, in *ć*, *r* ante vocales potissimum in *rz*, *d*, ante *e*, *i*, in *dz*, quod = *c*, mutat; sonus *dz* solum Polonis, et quibusdam Pannoniis notus, qui si a Polonis per ∂ scriberetur scilicet rotundum, tunc et composita *dz* Polonorum scribendi ratio suppleretur, et reliquis Slavis magna facilitas in legendo conciliaretur, sic: *po∂ielam, u∂ielam, ∂ietie* loco *podźielam, udźielam! dźietie) dziećie) Nie∂ela* pro *niedziela.* mutatio quidem *ś* in *s*, *z* in *z*, *v* in *c* posset manere, quum sint soni cognati, sic *zena*, vel *zona*, celo, vel *velo. Cloviek*, vel *Vloviek, vata* vel *sat a etc.* Hanc aut similem huic scri-

bendi rationem a Polonis assumtum iri speramus quam plurimum, si quidem a Polonis primum lumen unionis Slavicarum dialectorum effulserit, quae unio efficacissimum, ac prope unicum medium est linguam et gentem Slavicam in orbe diffusissimam ad summum culmen culturae evehendi.

Exempla Styli Universalis in dialecto pannonica.

Jisti vladar juƶ na smertnej loƶe ƶivot svoj konajuci pred skonanim svojim svolal sinov svojix, a jim mnoge razdilne nauki daval, medzi jinimi verejnimi naukami tato byla najglavneiша: dal kaƶdemu po prutu do ruki, a kazal, da by jedenkaƶdi svoj prut zlomil, чto laxko jeden kaƶdi udielal: po tim skasal vsi prouti sebrati, a do vjedna sviazati, a dal kaƶdemu, da by zviazek lamal; ale ƶaden zlomiti ne mogel; na to mudri vladar, a peчlivi otec ova zlata Slova mluvil: Premili sinove! Jednotu, a svojnost milujte; neb jeli jednotu budete medzi sebu imati, nepritelji vaшi vas neovladajo, po tej nauke blagoslaviv jim na vjeki usnul.

II

Za starego vieku byla jedna kralica, koja mala tri prelepije dievice: milicu, krasicu a mudricu; vse tri byle bogate, okrem bogatstva milica byla pokorna, krasica uctiva, a mudrica umena. One matku, a matka je liubi-

la, i nauчavala, medzi sebu takto govorile! mile sestri: mi poidemo za muƶi na tri strani: jedna k sjeveru, druga ku vixodu, tretia ku poldniu, nezabudnimo jedna na drugu, neb smo z jednej kervi, z jednej matieri. Ove rieчi sluшuc stara kralica, jejix matuшka od radosti omladnula, vidane sve ceri чasto naшtiovala, a vse liudstvo spjevanim svim rastomilim obveselavala.


Alphabetum Russicum, et Latinum.

Aa,	Бб,	Ц,	Ч,	Д,	Ee,	Ф,	Г,	X,	I,	И,	Ы,
a,	b,	c,	č,	d,	e,	f,	g,	h(=ch)	i,	j,	ü(y)
К,	Л,	М,	Н,	О,	П,	Р,	С,	Ш,	Щ,	Т,	У,
k,	l,	m,	n,	o,	p,	r,	s,	š,	šč,	t,	u,
В,	З,	Ж,	Я,	Ћ,	Ђ,	Ю					
v,	z,	ƶ,	ja,	tj,	je,	ju.					

Slavicam litteraturam concernentia opera sequentia eduntur: 1mo *Osmanida*, Epos Slavicum *a Gundeliч* Ragusae 1826. 2do *Časopis museumski. Pragae* 1827. 3tio *Ljetop is seršbki.* Budae.

Errata benevolus lector facile emendabit.






INFORMATION
CONSERVATION, INC
JAN.-FEB. 1988

